



# SARUM CUSTOMARY ONLINE

## 1: THE OLD CUSTOMARY FROM THE OLD REGISTER CHIPPENHAM, W&SA, D1/1/1 [OCO] LATIN TEXT ONLY

INTERIM EDITION MAY 2013

PROJECT DIRECTOR & GENERAL EDITOR  
SOURCE TRANSCRIPTION & EDITING  
TRANSLATION & REVIEW OF LATIN TEXTS

JOHN HARPER  
CHRISTOPHER HODKINSON &  
MATTHEW CHEUNG SALISBURY  
HENRY HOWARD

SARUM CUSTOMARY ONLINE  
is an element of a larger research project,  
*The Experience of Worship in late Medieval Cathedral & Parish Church*,  
based at Bangor University  
within the research programme, *Religion and Society*,  
funded jointly by the Arts & Humanities Research Council and  
the Economic & Social Research Council.



THE  
EXPERIENCE  
OF WORSHIP  
IN LATE MEDIEVAL  
CATHEDRAL AND  
PARISH CHURCH



Arts & Humanities  
Research Council





# The Old Customary of Salisbury Cathedral

[OCO]

from *The Old Register* (also known as *The Register of St Osmund*)  
Chippenham, Wiltshire and Swindon Archives, D1/1/1, pp. 1–37

Latin text only

---

This reading of the Old Customary of Salisbury Cathedral is based on the manuscript source belonging to the Diocese of Salisbury, currently kept at Chippenham, Wiltshire and Swindon Archives, D1/1/1. This is the oldest extant source of the Customary, copied c.1220. It is the first item in a composite manuscript generally referred to as either *The Old Register* or *The Register of St Osmund*. It was formerly kept in the Bishop's Registry.

Its contents relate to the first cathedral at Salisbury (Old Sarum), and may represent the ritual practice of the cathedral community at the time of the resumption of regular services after the lifting of the Papal Interdict in 1214. Richard Poore, then dean of the cathedral, is generally regarded as responsible for overseeing its compilation.

## Sarum Customary Online: The Old Customary [OCO]

[www.sarumcustomary.org.uk](http://www.sarumcustomary.org.uk)

Project director and general editor: John Harper  
Transcription and edition of Latin text: Christopher Hodkinson  
English translation: Henry Howard

Text and translation are copyright © Bangor University, 2013

Comments and suggestions should be sent to [experienceofworship@bangor.ac.uk](mailto:experienceofworship@bangor.ac.uk)  
or by post to Sarum Customary Online, School of Music, Bangor University,  
Bangor LL57 2DG, UK

## Latin text: editorial conventions

Numbering of sections and sub-sections is editorial. The sub-sectional divisions are those adopted by Frere in *The Use of Sarum I*.

Textual formatting is editorial. However, in the Latin only version, blank lines indicate divisions in the text with scribal authority, usually expressed through the use of a large initial letter. *Italic* text has been used to indicate quotation of liturgical texts. **Rubrics** are presented in red.

The grammar of the source has been retained insofar as possible; all abbreviations and contractions have been expanded without comment (some words, such as *octava*, are almost invariably abbreviated with no indication of their ending). Abbreviated numerals are only expanded in the case of common formulæ such as ‘*ad primas vesperas*’.

Spelling follows the source insofar as possible, but with some standardisation especially of contractions and unclear c/t distinctions. U and V are normalised as vowels and consonants respectively.

Punctuation follows medieval practice insofar as possible. The *punctus* has been removed where it was judged to indicate abbreviation but not sentence structure. The *punctus elevatus* is transcribed as a colon. Some standardisation and editorial judgement were necessary in the use of capital letters, especially regarding Proper nouns and liturgical terminology, and in the case of certain abbreviations. Upper-case forms are sometimes used with lower-case function (especially A and D as in *Archidiaconus* and *Decanus*). Such exceptional situations aside, the presence or absence of a capital letter following a *punctum* is an important guide to the scribe’s conception of sentence-structure in the manuscript.

Editorial insertions and emendations are contained within round brackets. Editorial suggestions are offered with a question mark where there is significant doubt in regard to the faultiness of the source or uncertainty in relation to the proposed reading.

[Deletions and erasures] are enclosed in square brackets. <Damaged> or <(lost)> text is enclosed in angle brackets. Editorial readings are proposed insofar as possible; otherwise the approximate number of missing or illegible letters is indicated by dots; an ellipsis is used to indicate a large number of missing letters. \Insertions/ are thus indicated. Footnotes record the date of textual modifications where estimates were judged possible.

## Contents

- 1 De personis in ecclesia sarum constitutis
- 2–8 De officio singularum personarum
- 9 De dignitatibus personarum et canonicorum ecclesie sarum
- 10 De residencia personarum et canonicorum et aliis consuetudinibus ecclesie sarum
- 11 De pena delinquentium
- 12 De chori ordinatione
- 13 De ingressu clericorum in chorum et egressu
- 14 Quando chorum intrare licet ad singulas horas
- 15 De transitu clericorum ab una parte chori in oppositam
- 16 De statione in choro fatienda in singulis horis
- 17 De conversione chori ad altare facienda
- 18 De prostratione in choro fatienda
- 19 De habitu chori per totum annum
- 20 Quando chorus regi debet
- 21 Que festa sunt duplita et que simplita
- 22 De alternatione chori
- 23 De offitio rectorum chori
- 24 Quod quilibet clericus sub cappa utatur superpelliteo
- 25 De modo exequendi officium in primis vesperis in prima dominica adventus
- 26 De chori thurificatione
- 27 De completorio sequente
- 28 De matutinis eiusdem dominice
- 29 Que persona dicit confiteor
- 30 De ordinatione clericorum in capitulo
- 31 De tabule dominicalis dispositione
- 32 De tabula in dominica palmarum
- 33 De tabula feriali
- 34 Adiectio ad tabulam feralem de collatione
- 35 De tabula natalis domini
- 36 De tabula communi
- 37 Adaptatio tabule natalis in aliis festis duplicibus
- 38 De tabula in die omnium sanctorum
- 39 De tabula diei pasche
- 40 De aptatione eiusdem tabule
- 41 De tabula dominicali a pascha usque ad pentecosten
- 42 De tabule dispositione in inventione sancte crucis
- 43 De feriali tabula post octabas pasche
- 44 De tabula sancti thome apostoli et aliorum festorum in quibus invitatorium a tribus cantatur
- 45 De tabula sancti marci et parium festorum in paschali tempore
- 46 De tabula infra octabas, et in dominicis infra octabas, et in ipsis octabis
- 47 De tabula in tribus noctibus ante pascha
- 48 De tabula simplicium festorum novem lectionum
- 49 De modo exequendi horas diei in prima dominica adventus domini
- 50 Adaptatio servitii diei dominice prime in adventu in aliis dominicis per annum
- 51 De modo exequendi officium feriale in secunda feria adventus
- 52 Adaptatio eiusdem in aliis feriis per annum

- 53 Modus exequendi officium in die natalis domini
- 54 De modo thurificandi altare
- 55 Adaptatio eiusdem festi in aliis festis duplicibus
- 56 De minoribus festis duplicibus
- 57 De modo exequendi ad vespervas in vigilia pasche
- 58 De die Pasche
- 59 De tertia et quarta feria pasche
- 60 De octavis pasche
- 61 Adaptatio in aliis festis duplicibus in paschali tempore
- 62 De modo exequendi officium in ascensione domini
- 63 De modo exequendi officium in festo sancti thome apostoli
- 64 Adaptatio eiusdem in aliis festis quando invitatorium est triplex
- 65 De modo exequendi officium in simplicibus festis novem lectionum
- 66 In quibus festis trium lectionum invitatorium a duobus cantatur
- 67 De modo benedicendi aquam dominica in adventu et in aliis dominicis
- 68 De aspersione aque
- 69 De ordine processionis eadem dominica
- 70 Adaptatio processionis huius dominice in ceteris dominicis, cum earum exceptionibus
- 71 Modus processionis in die natalis domini
- 72 Adaptatio eiusdem in aliis festis duplicibus novem lectionum
- 73 Ordinatio processionis diei pasche
- 74 Die ascensionis
- 75 In die pentecostes
- 76 In capite ieiunii
- 77 De processionibus ferialibus per quadragesimam
- 78 De processione in cena domini
- 79 Processio in vigilia pasche ad ignem benedicendum
- 80 Eadem die processio ad fontes
- 81 Processio ante matutinas die pasche
- 82 Processio que eadem die ad vespervas fit ad fontes
- 83 De processionibus ferialibus per ebdomadam pasche fatiendis ad matutinas et ad vespervas
- 84 Processio que fit in sabbato quod dicitur in albis ante crucem
- 85 Processio que fit in letania maiore
- 86 Processiones que fiunt rogationibus et in vigilia ascensionis
- 87 In vigilia ascensionis
- 88 In vigilia pentecostes
- 89 In sabbatis in estate ad vespervas ante crucem
- 90 Processiones que fiunt venerationis causa
- 91 Processio ad hominem mortuum suscipiendum
- 92 De modo exequendi officium dominica prima in adventu ad missam et de officii singulorum ministrorum
- 93 Adaptatio servicii dominice prime in adventu in aliis dominicis, cum suis exceptionibus
- 94 De modo exequendi officium feria secunda in adventu
- 95 Adaptatio officii misse huius ferie in aliis feriis per annum
- 96 De modo exequendi officium prime misse in die natalis domini
- 97 Modus exequendi officium secunde misse eadem die
- 98 De officio tercię misse eadem die

- 99 Adaptacio servicii huius diei in aliis festis omnibus cum regimine chori
- 100 De modo exequendi offitium misse in festis trium leccionum
- 101 Quando cooperiende sunt imagines in ecclesiis
- 102 De accensione candelarum in cena domini ad matutinas
- 103 De modo conficiendi crisma eodem die
- 104 De modo exequendi officium in vigiliis mortuorum





0.1 Personar<sup>1</sup> et earu<m o>ffitia. dignitates et consuetudines quibus ecclesia S<ar(i)sberi>ensis ordinatur et regitur iuxta institutionem felicis memorie Osmundi eius<(de)m> fundatoris episcopi: presens tractatus explanat.

1.1 **De personis in ecclesia Sarum constitutis.** Quatuor<sup>2</sup> itaque sunt persone principales in ecclesia Sarum. Decanus. Cantor. Cancellarius. Thesaurarius. Et .iiij<sup>or</sup>. archidiaconi. videlicet archidiaconus Dorsete. Berchesirie. et duo: Wiltesirie. preterea subdecanus. Succentor.

2.1 **De offitiis singularum personarum.** Decani<sup>3</sup> officium est. Cum omnibus canonicis et vicariis <i(n)> animarum regimine <et mo>rum correctione premineat. Causas omnes ad capitulum spectantes: audire et iudicio capituli terminare. Excessus (*recte* Excessus) clericorum corrigere. et deli<(nqu)>entium personas iuxta delicti quantitatem et personarum qualitatem digna animadversione punire. Preterea canonici ab episcopo institutionem. <(et a)> decano vero poss<e>ssionem de prebendis accipiunt.

2.2 Decani est etiam Canonicis iam institutis <(com)>munam ecclesie suo iure conferre. et eis stallum in choro et locum in capitulo assign<(a)>re. Vi<c(ari)>as vacantes ad presentationes canonicorum presentium. vel iusta et probabili causa. vel de lic<(ent)>ia <de(cani)> et capituli ob quamcumque causam absentium de clericis idoneis ordinare. Verum si <ul(tra)> ma<r(e)> absente canonico quacumque de causa vicaria aliqua vacaverit: decanus eam su<a (auctorita)>te citra assensum ipsius canonici cui voluerit clerico idoneo potest conferre. Preterea <nul(l)us cleric(or)um> de superiore gradu. vel de secunda forma in choro admittitur. nisi <a>uctoritate. decani.

2.3 Preterea omni dupplici festo absente episcopo. et in prima dominica Adventus. et in Dominica Palmarum. <(et i)>n Capite Jeiunii. et in tribus diebus ante Pascha. et in vigilia Pentecostes. et in aniversariis <e>piscoporum <et deca>norum ecclesie divinum tenetur exequi offitium.

3.1 Cantoris<sup>4</sup> officium est chorum in cantuum elevatione et depressione regere. Cantores et <ministr>os altaris in tabula ordinare. Ad illum etiam pertinet puerorum instructio. et disci<pl>ina et eorundem in choro admissio et ordinatio.

3.2 Preterea in maioribus festis dupplicibus tenetur interesse regimini chori ad missam: cum ceteris rectoribus chori. Preterea in omni dupplici festo rectores chori de cantibus iniungendis et incipiendis tenetur instruere. Preterea omnes cantus ab episcopo incipiendos ipsi episcopo in propria persona tenetur iniungere.

4.1 Cancellarii<sup>5</sup> officium est. Scholis regendis et libris corrigendis curam impendere. lectiones auscultare. et terminare. Sigillum ecclesie custodire. Litteras et cartas componere. Et litteras in capitulo legendas legere. Lectores in tabula notare. Omnes etiam lectiones <ad> missam que in tabula non scribuntur tenetur iniungere.

<sup>1</sup> This word has a very large decorated initial. A title has been written above the first paragraph in an early modern hand: \Vetus Regestrum/.

<sup>2</sup> This word has a large decorated initial.

<sup>3</sup> This word has a large decorated initial.

<sup>4</sup> The text scribe left sufficient space for a rubric before the large decorated initial of this word.

<sup>5</sup> The text scribe left sufficient space for a rubric before the large decorated initial of this word.

5.1 Thesaurarii<sup>6</sup> officium est ornamenta et thesauros ecclesie conservare. luminaria administ<ra(re)><sup>7</sup> scilicet dominica prima in Adventu .iiij<sup>or</sup>. cereos ad utrasque vespervas. et ad matutinas. et ad missam. scilicet. duos in superaltari. et alios duos in gradu coram altari. Simile observatur in Dominica Palmarum. In aliis autem dominicis omnibus per annum. et quodcumque chorus regitur. et invitatorium a duobus dicitur: tantum duos debet ad minus (*recte administrare?*<sup>8</sup>). In dominicis tamen omnibus ad missam .iiij<sup>or</sup>.

In<sup>9</sup> die Natalis Domini ad utrasque vespervas. et ad miss<a(m)> .viiij<sup>io</sup>. cereos debet ad<(mi)>nistrare. unumquemque unius libre ad minus circa altare. et duos coram im<ag(in)>e beate Marie. Ad matutinas totidem. et preterea .vj. in eminentia coram reliquiis. et crucifixio (*recte crucifixo*) et imaginibus. ibi constitutis. et in corona ante gradum .v. unumquemque dimidie libre ad m<i>nus. Et .v. super murum post pulpitem lectionum. Simile observatur in omnibus festis dupplicibus que habent processionem. A Pentecoste tamen usque ad Nativitatem beate Marie. et in ipso festo Nativitatis: .viij<sup>tem</sup>. cerei candelabro erneo (*recte eneo*) in<(po)>nuntur. In aliis vero dupplicibus festis minoribus: .iiij<sup>or</sup>. circa altare. et duos coram imagine beate Virginis. ad utrasque vespervas. et ad [matut]\missam/<sup>10</sup>. Ad matutinas preterea .iiij<sup>es</sup>. in corona. et .iiij<sup>es</sup>. post pulpitem. Quodcumque <I(nvi)>tatorium a tribus dicitur. et .v<sup>ta</sup>. et .vi<sup>ta</sup>. feria. et sabbato ebdomade Pasc\h/e<sup>11</sup>. et Pentecostes idem exigitur servicium in luminaribus: quod in prima die dominica Adventus. In Cena Domini sicut in diebus dominicis ad missam. In die Parasceve ad missam duos cereos debet. Omni feria per annum unum tantum ad matutinas. scilicet ad gradum chori. Ad missam vero duos cereos. In vigilia Pasche et Pentecostes ad missam. quod \in/ (insertion by original scribe) festis maioribus dupplicibus. preterea in die <Pa>rasceve post repositum corpus dominicum in sepulcro: duo cerei dimidie libre. ad minus. <de t(hesa)>uraria tota die ante sepulcrum ardebunt. In nocte sequente et exinde usque ad processionem que fit in die Pasc(h)e ante matutinas: unus illorum tantum. Magnum etiam cereum pasc(h)alem. Pretere<a> unum mortarium tenetur thesaurarius administrare singulis noctibus per annum. cora<(m a)l(tar)>i sancti Martini. et aliud ante ianuas ostii chori occidentalis dum matutinarum expletur offitium.

5.2 Sacristas quoque suis expensis tenetur ex(h)ibere thesaurarius. Campanas vero ecclesie congrue suspensas in statu congruo conservare. et earum usibus necessaria providere. Ornamenta etiam ecclesie suis expensis reficere. Panem. Vinum. Aquam. et Candelas. singulis altaribus ecclesie. excepto parrochiali administrare. Incensum. Carbonem. Stramen. Juncum. et Nattas per totum annum comparare. Juncum vero in his festis. In Ascensione Domini. et Pentecoste. In festo sancti Johannis Baptiste. In Assumptione et Nativitate beate Marie. Stramen in his festis. In festo Omnium Sanctorum. In Natali Domini. In Purificatione beate Marie. In Pascha. Nattas: in festo Omnium Sanctorum.

<sup>6</sup> The text scribe left sufficient space for a rubric before the large decorated initial of this word.

<sup>7</sup> A note written at the bottom of the page in a later hand (s. xiv/xv?), reads: \Invenies compositiones vicariarum de ble<b(uri. a)ult>on(.) b<ritford(.)> et ydemeston' in medio .ix. quater<(nionis istius) libri>/.

<sup>8</sup> Alternatively, the specification of a weight may be lacking from the text at this point.

<sup>9</sup> This word begins with an unusually large black capital.

<sup>10</sup> This correction was made by the original text scribe.

<sup>11</sup> This insertion was made by the original text scribe.

6.1 Archidiaconi<sup>12</sup> officiales sunt domini episcopi. quorum officium in exterioribus administrationibus consistit.

7.1 Subdecani officium est: si decanus affuerit (*i.e.* afuerit) ecclesie: vices eius supplere. Curam archidiaconatus in urbe. et suburbio gerere.

8.1 Succentoris officium est. vices cantoris absentis supplere. Scolam cantus per officialem suum regere.

9.1 **De dignitatibus personarum et canonicorum ecclesie Sarum(.)** \D/ignitas<sup>13</sup> decani est. ut <(n)u(l)>lus canonicorum vel <a>liorum clericorum ecclesie preter eius licentiam sibi minuat. vel a civitate recedat. per u<n>am noctem foris moram ex certa scientia facturus. Preterea decano chorum vel capitulum intranti. vel transitum ibi fatienti: clerici omnes tenentur assurgere. Et chorum ex parte occidentali intrantes. vel exeuntes eidem inclinare.

9.2 ¶<sup>14</sup> Dignitas item decani est: et omnium canonicorum. ut episcopo in nullo respondeant nisi in capitulo. et iudicio tantum capituli pareant. Habent etiam curiam suam in omnibus prebendis suis et dignitatem archidiaconi ubicumque prebende assignate fuerint: in diocesi episcopatus Sarum. sive in ecclesiis. vel decimis. <(a)>ut terris. ita quidem ut nulla omnino exigentia in dono. vel in asisa. vel aliaqua alia consuetudine ab episcopo vel a quolibet alio fiat in prebendis eorum. sed omnes libertates et omnes dignitates plenarie et pacifice habent quas predictus Osmundus episcopus in eisdem prebendis habuit cum eas in suo haberet dominio.

9.3 ¶<sup>15</sup> Preterea quicumque canonicus prebendam aliquam optinet: unciam auri decano. Et canonicis: .xl. solidos. vel unius diei procuracionem <(c)>aritatis gratia solvere tenetur. ¶<sup>16</sup> Si quis autem canonicorum sive ad dedicationem ecclesiarum sive alias cum episcopo eiusdem ecclesie fuerit: partem oblationis sicut capellanus habebit. Ad hoc etiam duas partes canonici defuncti: in usum concessit Episcopus Osmundus. Ceterorum canonicorum. et tertiam partem in usum pauperum. per <u(n)ius> anni <s(p)a>tium.<sup>17</sup> Sepulturam insuper totam cum oblationibus que episcopo missam celebranti in ecclesia Sarum offeruntur: preter auri medietatem. Si dominus episcopus ecclesias vel capellas pre<be(n)d(a)rum> dedicaverit: nichil ibi percipiunt capellani episcopi. nec alii nisi solus canonicus cuius fuerit prebenda.

9.4 ¶<sup>18</sup> Preterea si decanus sive quicumque canonicus per aliquam prebendarum transitum fecerit: de iure et dignitate sua debet ei hospitium a canonico cuius fuerit prebenda per unam noctem honorifice ex(h)iberi. sive fuerit canonicus presens: sive non. Et si culpa ipsius canonici. vel servientis sui in hospicio sicut decet non fuerit admissus: illius noctis expense canonico super hoc conquerenti de prebenda ipsa iudicio capituli in integrum restituentur. Per aliam quoque noctem sive alias si

<sup>12</sup> The text scribe left sufficient space for a rubric before the large black initial (with red colouring) of this word.

<sup>13</sup> Decorated initials are entirely lacking from this point onwards in the Customary. Some of the missing letters, as here, were later supplied by an early modern hand.

<sup>14</sup> A later mediaeval scribe (s. xiii/xiv?) inserted this sign and made a note in the margin: \dignitas <...>/.

<sup>15</sup> This sign was inserted by a later mediaeval scribe (s. xiii/xiv, as above?) who also drew a hand in the margin pointing towards it; an additional marginal sign was later added in darker ink.

<sup>16</sup> This sign was inserted by a later mediaeval scribe (s. xiii/xiv, as above?).

<sup>17</sup> An early modern hand inserted a clarification in the margin: \spatium/

<sup>18</sup> This sign was inserted by a later mediaeval scribe (s. xiii/xiv, as above?) who wrote in the margin: \nota pro obb?/.

rationabilis causa exegerit: in fratrem et canonicum hospitalitatis gratiam tenebitur exercere. Et si necessitas evidens appareat equos eidem usque Sarum a\d/ministrabit.<sup>19</sup>

**10.1 De residentia personarum et canonicorum et aliis consuetudinibus ecclesie** <Sarum(.)><sup>20</sup> \D/ecanus. Cantor. Cancellarius. Thesaurarius. residentes sint assidue in ecclesia Sarum. remota omni excusationis specie. Archidiaconi cum tali moderamine officium archidiaconatus impleant: ut duo semper ex eis residentiam fatiant in ecclesia. nisi necessaria et evidens causa possit eos excusare.

10.2 Canonicos nihil potest excusare quin et ipsi residentes sint in ecclesia. nisi causa scolarum et servitium domini regis. qui unum habere potest. in capella sua. et archiepiscopus unum. Et episcopus tres. Verumtamen si necesse habuerit canonicus pro comuni utilitate ecclesie vel prebende sue. et hoc fuerit in manifesto: poterit per anni terciam partem abesse. Quando vero<sup>21</sup> aliquis constituitur canonicus debet coram fratribus iurare presente evangelio se dignitates et consuetudines Sarum ecclesi<e (inviol)a(bil)iter> observaturum.<sup>22</sup>

10.3 Defuncto autem canonico: omnes exitus et obventiones prebende sue totius termini infra quem decedit: ei debentur. Redditus quoque termini proximo sequentis et obventiones prime diei illius termini. Sunt autem .iiij<sup>or</sup>. termini. scilicet festum sancti Michaelis. Natale Domini. Pascha. Nativitas sancti Johannis Baptiste. Preterea elapso termino infra quem decedit: terciam partem totius prebende per annum sequentem percipit. ex illa tamen tertia parte vicario prebende totius anni sequentis debentur stipendia. Residuum vero in usus pauperum vel alias pro dispositione defuncti erogatur. Canonico preterea defuncto statutum est: xxx<sup>ta</sup>. dierum in conventu: obsequium fieri. et trigintale separatim unumquemque celebrare presbiterorum. Reliquos vero cuiuscumque ordinis sint separatim psalteria cantare .xx<sup>ti</sup>. et ab unoquoque in ebdomada sua privatim an(n)iversarium celebrari.

**11.1 De pena delinquentium(.)** \S/eniores obsecrandi sunt ut fratres. verumtamen si cotidiano sacrificio vel horis canonicis sine rationabili causa sepius defuerint. et a decano correpti hoc non emendaverint: debent in capitulo coram decano et fratribus prostrati veniam recipere. Si vero de inobe<(d)>ientia et <(re)>bellione vel alio notorio deprehensi fuerint: debent a stallo degradari et ad hostium post d<ecanu>m. vel in choro ultimi puerorum secundum quantitatem delicti penitentiam agere. <Q(uod si) h>anc disciplinam neglexerint: et incorrigibiles apparuerint: serviori (*recte* severiori) subiaceant ultioni.

**12.1 De chori ordinatione.** \Q/uat<or> principalium personarum stalla chori Sarum sunt terminabilia. In introitu ch<ori (a)> parte occidentali a dextris stallum est decani. a sinistris cantoris. a parte orientali in dextra parte chori: stallum est cancellarii. Ex opposito: thesaurarii. Proximus decano: stat in choro archidiaconus Dorsete. deinde subdecanus. Proximus cancellario: archidiaconus Wiltesirie. In medio autem stant canonici dignitatibus proximiores. Deinde vicarii presbiteri et pauci ad modum diaconi qui etate et moribus exigentibus in superiore gradu tollerantur ex dispensatione. Cantori proximus stat in choro: archidiaconus Berchesirie. deinde

<sup>19</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>20</sup> A marginal note added by a later mediaeval scribe (s. xiii/xiv, as above?) reads: \de residencia <...>/.

<sup>21</sup> An early modern hand underlined the preceding two words, and noted in the margin: \Juramentum/.

<sup>22</sup> The end of this sentence was marked and the words *se dignitates et consuetudines Sarum* underlined, apparently by the same hand as above.

succentor. Proximus thesaurario: alius archidiaconus Wiltesirie. deinde ceteri canonici et clerici modo predicto ordinantur.

12.2 In secunda forma priores habentur iuniores canonici. deinde diaconi. postea ceteri clerici. In prima forma priores habentur canonici pueri. deinde ceteri pueri secundum etatis exigentiam.

13.1 **De ingressu clericorum in chorum Et egressu.** \C/horum intrantes clerici ita se habeant ordinate: ut si ex parte orientali intraverint: ad gradum se ad altare inclinent. postea ad episcopum si presens fuerit. Si vero ex parte occidentali ingressi fuerint: primo ad altare se inclinent deinde ad decanum. Eodem moderamine: chorum exeant.

14.1 **Quando chorum intrare licet ad singulas horas.** \C/horum intrare possunt clerici ad matutinas et ad omnes horas que in inceptioe offitii ymnos habent: donec ymnus terminatur. Ad vespervas vero usque ad tercium versum. vel quartum primi psalmi. Ad completorium similiter illi scilicet qui vespervis intersunt precedentibus. Alias vero ad completorium et ad vigiliis mortuorum intrare nullo modo possunt. In Quadragesima tamen ad completorium intrare possunt: quomodo ad vespervas in alio tempore. Ad vigiliam mortuorum et ad collationem quolibet tempore.

14.2 Ad missam vero ingredi licet usque ad primam collectam. Ad alias vero horas que sine intervallo missam secuntur: nulli intrare licet nisi his qui misse interfuerint. In Quadragesima tamen in diebus ferialibus quando de feria agitur a<d> vespervas intrare possunt hii qui horis diei interfuerint. licet misse non interfuerint. et in festis .ix. lectionum quamvis o<(m)>nino nulli hore diei prius interfuerint. Quilibet autem processioni totius anni intrare possunt: licet nulli hore diei precedenti interfuerint.

15.1 **De transitu clericorum ab una parte chori in oppositam.** \P/reterea si quis clericus ab una parte chori in oppositam transierit: in eundo et redeundo ad altare se inclinent. Intrantes quoque clerici in locis suis ita ordinate se recipiant: ne formas inordinate transiliant. Idem etiam exeuntes observent. In choro nullum fiat murmur a clericis nulla habeantur colloquia nisi necessaria.

16.1 **De statione in choro fatienda in singulis horis.** \P/reterea superioris gradus clerici ad omnes vespervas principales per annum stare tenentur in choro continue nisi dum versus responsorii dicitur. quando responsorium habetur. Secunde vero forme clerici eodem modo se habeant: ut videlicet semper stent nisi dum versus responsorii canitur. quod dicitur ad gradum. Pueri vero sine omni exceptione ad vespervas stare tenentur continue. nisi in ebdomada Pasche. Tunc enim ad vespervas sedere debent dum versus gradalis. et versus *Alleluya*: cantantur. Ad completorium vero omnes indifferenter clerici per totam illam horam stare tenentur. Similiter ad matutinas per totum tempus nisi dum lectiones leguntur. et responsoria cum suis versibus cantantur.

16.2 Ex dispensatione tamen clerici de superiore gradu. et de secunda forma ex utraque parte chori alternis vicibus in psalmodia sedere possunt. quandocumque ad matutinas nocturnum dicitur. et preterea in omnibus festis .iij. lectionum. que fiunt cum .ix. psalmis. ita tamen quod quando aliquis ad unum psalmum sedet: ei proximus interim stando psallat.

16.3 Ad primam vero et ad ceteras horas. omnes uniformiter tenentur stare. Similiter ad missam per totum tempus nisi dum lectiones vel epistole leguntur. et gradale. et *Alleluya*. et tractus cum suis versibus cantantur. In duplici tamen festo stare debent omnes dum a choro canitur *Alleluya*. Pueri vero semper stantes sint ad missam choro canente. Rectores vero chori cum duo tantum habentur secuntur per omnia regulam

clericorum de secunda forma. ad vespervas. et ad matutinas. et ad missam: ad altare se convertunt. In dupplici vero festo omnes rectores chori gestum chori per omnia imitentur.

17.1 **De conversione [...]**<sup>23</sup> **chori ad altare facienda.** \C/onversi autem ad altare stare tenentur clerici ad vespervas. ex quo dicitur *Deus in adiutorium*. quousque incipitur prima antiphona. super psalmos.

17.2 Simili modo quoque se gerant. in inceptioe cuiuslibet hore et quotiens dicitur *Gloria patri*. In responsoriis vero canta(n)dis generaliter observatur quod semper his vel hii qui versum cantant ab inceptioe ipsius responsorii quousque versus cum *Gloria patri*. si *Gloria* habetur: percantetur. Chorus quoque in ipsa inceptioe responsorii ad altare se convertit. quousque chorus ipse cantet. Similiter obser<v>atur in capitulis et collectis dicendis. et in fine omnium ymnorum et in omnibus versiculis. et post *Magnificat*. et *Benedictus*. et *Nunc dimittis*. ex quo dicitur *Gloria patri* quousque totum servitium compleatur.

17.3 Simile quoque observatur post ultimum versum ultimi psalmi cui<usl(i)>b<(et)> hore quod scilicet semper sit conversus ad altare chorus. quousque responsorium incipitur<sup>24</sup> (*recte* incipitur). et <si> responsorium habetur. vel capitulum dicatur.

17.4 Similiter fit in laudibus. Ad matutinas ad altare stat chorus convers<u(s)> in initio. quousque ultimo reincipitur. Invitatorium. Et in singulis nocturnis post ultimum versum psal<(mi)> quousque i(n)ch<(oe)>tur lectio. Ad pronuntiationem autem cuiuslibet ewangelii ad ipsum lectorem se convertat chorus. dum verba ewangelii dicuntur. In inceptioe etiam *Te deum laudamus*: Similiter donec chorus cantet. et dum ultimus versus <c>anitur. Quando vero *Te deum laudamus* non dicitur. sed nonum responsorium repetitur: tunc ad altare chorus se convertit. quousque incipitur antiphona super psalmos. ut supradictum est. In ceteris autem horis per totam horam predicto modo se habet chorus post ultimum versum ultimi psalmi.

17.5 Ad missam gestus predictus attenditur. dum *Gloria in excelsis* inchoatur quousque chorus cantet. et in eodem ymno ad hec verba. *Adoramus te*. et hec. *Suscipe deprecationem nostram*. et in fine eiusdem cum dicitur *Jhesu christe*. usque ad epistolam vel lectionem. Item in fine Gradalis vel *Alleluya*. vel Tractus. vel Prose. chorus ad altare se inclinet antequam ad lectorem ewangelii se convertat. et ad *Gloria tibi domine* semper ad altare se convertat signo crucis se signans. quod ter ad missam publice observatur. scilicet ad *Gloria in excelsis deo*. quando dicitur *In gloria dei patris*. et hic. et post *Sanctus* cum dicitur *Benedictus qui venit in nomine domini*. Item ad inceptioem *Credo in unum deum* quousque chorus cantet. et interim ter in una con<ver(s)>ione ad altare se inclinent. scilicet dum dicitur hec clausula. *Et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria Virgine. Et homo factus es(t)*. et *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato*. Et in fine dum dicitur. *Et vitam futuri seculi. Amen*. Ab hinc etiam quousque inchoetur offerenda. et ad conversionem sacerdotis ad populum. quousque ipse sacerdos iterum ad altare se convertat. et post offerendam quousque totum compleatur officium misse. Hunc gestum chorus imitatur omni festo per annum.

18.1 **De prostratione in choro fatienda.** (I)n ferialibus diebus quando ad horas preces dicuntur: in prostratione chorus se habet ad omnes horas dum preces dicuntur. ex quo inchoatur *Kyrieleyson* quousque dicatur *Per dominum nostrum*. Post orationem vero

<sup>23</sup> Some erasure.

<sup>24</sup> Dittography at a line break.

solus sacerdos a prostratione se erigit cum dicitur *Exurge domine*. Ad matutinas dum dicitur oratio dominicalis ante lectionem: quousque dicatur *Et ne nos*.

18.2 In laudibus sicut ad vespas. Ad missam quamlibet que de feria dicitur extra Paschale tempus post *Sanctus*: usque *Per omnia* (ante) *Agnus dei*.

Preterea<sup>25</sup> in Quadragesima in (i)nceptione cuiuslibet hore fit genuflexio. Prostratus etiam debet esse chorus in omni feria quando de feria agitur extra Paschale tempus. In vigilia mortuorum ad *Placebo*. ex quo dicitur *Kyrieleyson* donec ultima oratio dicatur. Ad *Dirige*: dum oratio dominicalis dicitur ante lectiones. Post *Benedictus* quoque eodem modo quo post *Magnificat* ad *Placebo*.

19.1 **De <habitu chori> per totum annum.** ¶ Preterea sciendum est quod omnes clerici indifferenter nigris utuntur cappis per totum annum nisi in his duplicibus festis que ex propria sua solemnitate processionem habent adiunctam. vel in aliis etiam festis duplicibus que diebus fiunt dominicis. Tunc enim omnes cappis utuntur sericis. ad processionem. et ad missam.

19.2 Item in vigilia Pasche<sup>26</sup> quando *Gloria in excelsis* inchoatur. facta genuflexione: clerici deponant cappas nigras. et in superpelliciis appareant. et exinde per totam septimanam. et etiam in octava die superpelliciis utantur. Simile quoque observetur in vigilia Pentecostes. et per septimanam. In omni etiam duplici festo. a Pascha. usque ad festum sancti Michaelis semper in superpelliciis appareant in choro et in capitulo et ad omnes horas diei.

19.3 Ad matutinas vero per totum annum nigris cappis utantur. Nullus autem clericorum de superiore gradu almutica (*recte* almutia) utatur nisi nigra in choro nec in capitulo. Alii vero clerici nulla utantur omnino de die. Rectores vero c\h/ori<sup>27</sup> semper sericis utantur cappis in choro.

19.4 In Paschali tempore utuntur ministri altaris ad missam dalmaticis. et tunicis albis. Rectores chori cappis similiter albis. et in Annuntiatione Dominica. et in octabis beate Marie. et infra octabas. et in commemorationibus eiusdem. et in utroque festo sancti Michaelis. et in festo cuiuslibet virginis.

19.5 Rubeis vero utuntur indumentis in utroque festo sancte Crucis. et in quolibet festo martirum. et tract(ib)us cantandis. In festibus simplicibus in Quadragesima. et in Dominica Passionis Domini. et in Dominica Palmarum rectores chori cappis utuntur rubeis.

20.1 **Quando chorus regi debet.** ¶ Solet autem chorus regi omni die dominica. et omni duplici festo. et in omni festo .ix. lectionum per totum annum. et a primis vespas Natalis Domini usque ad octavas Epiphanie. et in ipsis octabis nisi in vigilia Epiphanie cum extra dominicam evenerit. et per ebdomadam Pasche. et Pentecostes. et in quibusdam festis etiam qui contingunt in Paschali tempore. In his videlicet.

In festo sancti Ambrosii.

et sancti Marci.

et sancti Georgii.

et apostolorum Petri et Pauli.

Philippi et Jacobi.

et Inventione sancte Crucis.

et in festo sancti Johannis ante portam Latinam.

<sup>25</sup> This word begins with an unusually large black capital.

<sup>26</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>27</sup> This insertion was made by the original text scribe.

et sancti Dunstani.  
 et sancti Aldelmi.  
 et sancti Augustini.  
 et sancti Barnabe apostoli.  
 et per octabas Ascensionis.  
 et in die octavarum \apostolorum/<sup>28</sup> Petri et Pauli.  
 et per octavam<sup>29</sup> (vel octavas) Assumptionis  
 et Nativitatis beate Virginis.

21.1 **Que festa sunt duplitia et que simplitia.**<sup>30</sup> \S/ciendum autem est quod quedam festa sunt dupplicia. quedam simplicia. Dupplicia autem festa in ecclesia Sarum. hec sunt.

Dies Natalis Domini.  
 et .iiij<sup>or</sup>. sequentes.  
 Dies Circumcisionis.  
 Dies Epiphanie.  
 et Purificatio sancte Marie.  
 et Annuntiatio Dominica.  
 et prima dies Pasche  
 cum tribus sequentibus  
 \et octabis/<sup>31</sup>  
 et Inventio sancte Crucis.  
 Dies Ascensionis Domini.  
 Dies Pentecostes.  
 cum tribus sequentibus.  
 et festum sancte Trinitatis.  
 et sancti Johannis Baptiste.  
 et apostolorum Petri et Pauli.  
 et Assumptionis  
 et Nativitatis beate Virginis.

Festum Reliquiarum.  
 et sancti Michaelis.  
 et Omnium Sanctorum.  
 et sancti Andree apostoli.

21.2 In his autem duplicibus festis chorus regitur a .iiij<sup>or</sup>. clericis. quorum duo principales semper erunt de superiore gradu. Duo secundarii: quandoque de superiore gradu. quandoque de secunda forma. De superiore gradu erunt in die Natalis Domini.

et in duobus sequentibus.  
 et in die Epiphanie.  
 In die Pasche  
 et in secunda feria.  
 In Assumptione beate Virginis.  
 In die Ascensionis.  
 In die Pentecostes.  
 et in secunda feria.

<sup>28</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>29</sup> Ms: oct?

<sup>30</sup> A marginal sign, s. xiii/xiv, draws attention to this section.

<sup>31</sup> This note was added in a later mediaeval hand, s. xiii/xiv.



In reliquiis autem secundarii erunt de secunda forma.

21.3 Omnia autem festa que non sunt dupplicia in quibus chorus regitur dicuntur simplitia. In talibus itaque chorus regitur a duobus tantum de secunda forma. In maioribus autem festis dupplicibus committitur discretioni cantoris quos velit ad chorum regendum ordinare. ita tamen provideat quod semper principales sint canonici si tot fuerint presentes. In aliis vero festis dupplicibus erunt principales canonici ebdomadarii. Secundarii iuxta cantoris dispositionem eligantur de secunda forma. In simplicibus autem festis tenentur chorum regere ebdomadarii. qui scilicet in tabula dominicali scribuntur. ad Invitatorium dicendum. et hii quidem chorum regent quandocumque regendus est infra .xv. dies. continuos per totum annum quando tabula per septimanas integras discurrit. ita quod qui in prima ebdomada fuit principalis: in secunda sit secundarius et vice versa.

22.1 **De alternatione chori(.)** \A/ternis enim vicibus per septimanas chorus esse debet una septimana ex parte decani. alia ex parte cantoris. In omnibus tamen dupplicibus festis semper debet esse ex parte decani. si fuerit ibi persona presens qui divinum officium in illis festis exequatur. nisi in tempore Natali. et tempore Paschali. et in ebdomada Pentecostes. Tunc enim in illis continuis festis dupplicibus singulis diebus chorus mutatur.

22.2 In<sup>32</sup> quibusdam tamen temporibus anni non per septimanas. sed per dies tabula discurrit. scilicet. a. die (*recte* a die) dominica ante Natale proxima quando in sabbato precedente chorus uterque perficitur: usque ad octabas Epiphanie si in dominica evenerint. Sin autem in aliqua media feria contigerint: tunc usque ad proximam dominicam diem sequentem idem observabitur. Si vero in proximo sabbato ante Natale non fuerit vicissitudo utriusque chori pariter completa: tunc a die Natali usque ad predictum terminum tabula per dies discurrat. Item a Cena Domini usque ad octabas Pasche variatur chorus per singulos dies. Rectores tamen ebdomadarii ante diem Pasche non mutantur. a die autem Pasche usque ad octabas singulis diebus variantur.

Simile<sup>33</sup> quoque observetur in ebdomada Pentecostes usque ad diem sancte Trinitatis.

23.1 **De offitio rectorum chori.** \I/n simplicibus festis principalis rector chori ab initio in vespervas. antiphonam super psalmos. et psalmum intonant (*recte* psalmi intonationem). et differentiam a cantore querat. et in quo gradu debeat incipi. Hoc quesito: exequatur illud iuxta cantoris responsionem. Si plures fuerint antiphone super psalmos: secundam antiphonam et quartam secundarius eodem ordine et eodem gradu iniungat. Si vero responsorium ad vespervas sit cantandum: tunc principalis rector chori post intonationem quarti psalmi responsorium inquirat a cantore. et a quo vel a quibus sit cantandum. Si fuerit a duobus cantandum: tunc principalis secundo responsorium significet. et a quo sit cantandum ex sua parte. Si vero ab uno sit cantandum: tunc principalis rector en (*recte* ex vel in) sua parte cui ipse voluerit illud iniungat.

23.2 Deinde idem rector. ymnum. versiculum. et antiphonam super *Magnificat*. et memorias. et earum ordinem a cantore querat. His omnibus quesitis ipsemet ymnum inchoet. Versiculum si a duobus sit dicendus per se et per secundarium a (*sic*) duobus pueris ex duabus partibus chori iniungat. Si autem ab uno solo: per se tantum. Deinde

<sup>32</sup> This word begins with an unusually large black capital.

<sup>33</sup> This word begins with an unusually large coloured black capital.

antiphonam super *Magnificat* iniungat. et psalmum ipsum intonet. Dum dicitur oratio cui voluerit *Benedicamus* iniungat. Et si duplex fuerit: secundarius ex sua parte. Memorias autem similiter ipsi rectores incipiant. Ultimum vero *Benedicamus* secundarius semper ex parte sua iniungat. Et si duplex fuerit. uterque. Sciendum autem quod ad vespervas. et ad matutinas. et ad missam chorus regitur tantum. Ad completorium officium principalis rectoris est iniungere versiculum et antiphonam super *Nunc dimittis*. cui voluerit.

23.3 Ad matutinas officium principalis rectoris est. In primis Invitatorium a cantore querere. et cantum psalmi *Venite*. Deinde cum socio suo incipiat invitatorium. et psalmum simul cantent. Postea principalis rector querat ymnum a cantore. et primam antiphonam super psalmum. Deinde versiculos suo loco. et primam antiphonam super laudes. Et cetera omnia ut supranotatum est exequantur. Ad primam officium est principalis rectoris antiphonam super *Quicumque vult* iniungere et responsorium *Jhesu christe*.

23.4 Ad missam eiusdem officium est in primis querere officium a cantore. deinde socio suo illud intimare. postea simul incipiant. et psalmum intonet. et *Gloria patri* incipiant. Deinde eodem modo *Kyrieleison* queratur. intimetur. et incipiatur. Deinde sequentia. offerenda. *Sanctus*. *Agnus*. et communio. predicto modo querantur. intimentur. et incipiuntur. Preterea in profestis diebus per totam ebdomadam eiusdem officium est. ad vespervas versiculum et antiphonam super *Magnificat* querere. et iniungere. et *Benedicamus* iniungere. Ad completorium ut supra. Ad matutinas Invitatorium querere. et cantare. et versiculos. et antiphonam super *Benedictus* querere. et iniungere. Ad primam. responsorium iniungere.

23.5 In duplicibus autem festis omnes simul rectores totum Invitatorium cantent. antequam a choro repetatur. principalis rector et suus collateralis simul psalmos intonet. et ymnos incipiant. et secundarius cum suo collateralis ex sua parte se gerant. Preterea ipsi collaterales. versiculos. et *Benedicamus* iniungant. Ad primam collateralis ex parte chori responsorium iniungat.

23.6 Ad missam vero principalis rector. *Gloria in excelsis* a cantore querat. et sacerdoti iniungat. Cetera autem omnia sicut in simplicibus festis de duobus dictum est exequantur. Preterea sciendum quod si aliquis rectorum chori in simplicibus festis in tabula scribitur ad cantandum solus: cappam sericam interim non deponat. Si autem cum alio cantaverit: in habitu illi se conformet. Preterea si ad legendum scribitur in tabula: habitum legentium extra chorum assumat.

24.1 **Quod quilibet clericus sub cappa utatur superpellitio.** (G)eneraliter etiam observari debet quod tam rector chori quam quilibet alius sub cappa serica utatur superpellitio. preterea officio rectoris chori est an(n)exum. ne pueri inordinate se gerant in choro. et ne chorum exeant nisi licenter: providere.

24.2 Tenentur autem pueri interesse vespervis. completorio. prime hore diei. et misse. vigiliis quoque mortuorum quocienscumque fuerit corpore presente. et in trigintalibus. et in aniversariis. Ad completorium non tenentur esse pueri qui in tabula scribuntur. Ad matutinas interesse non tenentur pueri: nisi hii qui in tabula scribuntur. In Adventu vero. et a Septuagesima usque ad Quadragesimam puer ebdomadarius responsorii tenetur interesse tercię. et sextę hore diei ad antiphonas incipiendas et responsoria cantanda. quando de temporali agitur. In Quadragesima vero tenetur idem interesse omnibus horis diei ad hoc idem fatiendum.

### 25.1 **De modo exequendi officium in primis vespere in prima dominica adventus.**

\D/ominica prima in Adventu ad vespere pulsato classico: excellentior sacerdos qui presens fuerit dicta oratione dominica officium exequatur. Antiphona super psalmos incipitur. in secunda forma a primo clerico illius gradus[.].<sup>34</sup> Qui dum incipit: ad chorum stet conversus. In fine autem primi versus psalmi ad altare se inclinet. Hoc etiam generaliter per totum annum observetur in conversione et inclinatione. a cuiuscumque gradus clerico antiphona incipitur. Secunda autem antiphona a suo pari ex opposito incipitur. Ceterae sequentes per ordinem hincinde discurrant. Hic ordo observetur in omnibus sabbatis per totum annum super his antiphonis incipiendis. Post tertium vero psalmum tres pueri accepta licentia a rectoribus egrediantur ut se induant. duo ad deferendos cereos: tertius ad thuribulum. Sacerdos vero in capitulo dicendo nec stallum nec habitum mutet. sed dicendo ad altare se vertat. et hoc semper observetur.

25.2 Ad has vespere duo clerici de superiore gradu cantent in cappis sericis responsorium ad gradum. Eodem modo cantetur responsorium ad vespere. in sabbatis ante Passionem. et ante Dominicam Palmarum. In ceteris autem sabbatis per totum annum quando de temporali agitur. et responsorium cantatur: a duobus de secunda forma in cappis sericis cantetur.

25.3 In penultimo versu ymni: exeat sacerdos ad cappam sericam assumendam. Dicto vero ymno: unus puer ex parte chori dicat versiculum loco nec habitu mutato. ad altare conversus. Idem modus servetur a quolibet puero quodcumque solus dicit versiculum vel *Benedicamus*:

25.4 Interim autem introeant ceropherarii. et acceptis candelabris veniant obviam sacerdoti ad gradum presbiterii. Deinde sacerdos benedicendo ponat thus in thuribulum et procedat ad altare. et facta genuflexione: ante altare: incenset altare. primo in medio. deinde in dextra parte. post: in sinistra. Exinde imaginem beate Virginis. Postea arcam in qua continentur reliquie. Deinde thurificando altare circueat. Hoc peracto ad extremum gradum ante altare: ad altare se inclinet. et precedentibus ceropherariis et thuribulo huic officio in stallo deputato se recipiat.

26.1 **De chori thurificatione.** (D)einde puer ipsum sacerdotem ibidem incenset. postea rectores chori incipiens a principali. Deinde superiorem gradum ex parte decani. incipiens ab ipso decano. postea superiorem gradum ex parte cantoris eodem ordine. Exinde secundas formas et primas simili ordine. ita ut puer ipse singulos incensato illis inclinet. Hec autem fiant dum antiphona super *Magnificat* incipitur et psalmus psallitur.

26.2 Antiphona vero in superiore gradu incipitur. et hoc generale sit per totum annum quod quilibet antiphona super *Magnificat*. *Nunc dimittis*. et *Benedictus*. in superiore gradu semper incipitur. Dum vero antiphona canitur post *Magnificat*: sacerdos ad gradum accedat. et puer ebdomadarius lectionis deferat ei librum in superpellitio. ceropherariis eidem sacerdoti assistentibus. Finita oratione: puer quidam dicat *Benedicamus domino*. Secundum *Benedicamus* post memorias: dicat alius puer ex opposito eodem modo.

27.1 **De completorio sequente.** (A)d completorium antiphonam super psalmos incipiat primus de secunda forma. psalmum intonet aliquis de superiore gradu. Quidam puer dicat versiculum. et hec omnia fiant iuxta dispositionem ipsius rectoris ebdomarii.

---

<sup>34</sup> Some erasure.

28.1 **De matutinis eiusdem dominice.** \E/adem die ad matutinas primam antiphonam super psalmos incipiat primus de prima forma. Secunda vero antiphona a suo pari ex opposito incipiat. tertia vero a tercio sibi opposito incipiat. Quarta a subdiacono vel aliquo alio inferiore. in secunda forma. Quinta a s(ub)diacono (*recte* diacono) in secunda forma. Sexta in superiore gradu a quovis pro voluntate ipsius rectoris.

Septima ab alio eiusdem gradus clerico. Eodem modo octava et nona per ordinem.

Singuli versiculi ad matutinas a singulis pueris hincinde dicantur.

28.2 post inchoationem tercię antiphone puer quidem (*recte* quidam) librum ad locum legendi in habitu legentium deferat qui et ipse primam lectionem legat habitu non mutato. Secunda. et tertia similiter. a duobus pueris hincinde legantur. Quarta a subdiacono de secunda forma vel inferiore clerico. Quinta a diacono de secunda forma. Sexta a quovis in superiore gradu. Septima a diacono superioris gradus. viij<sup>va</sup>. et ix<sup>na</sup>. a diacono vel presbitero de superiore gradu.

28.3 Primum responsorium tres pueri in superpelliciis ad gradum incipiant. Solus autem ebdomadarius primum versum. Secundus: secundum. tercius: tertium. singuli per se cantent. Deinde tres. *Gloria patri* simul cantent. et similiter responsorium reincipiant. Cetera responsoria a singulis clericis iuxta ordinem lectorum cantentur loco nec habitu mutato. ita ut ex eadem parte chori in eodem gradu single lectiones cum suis responsoriis dicantur.

28.4 In laudibus prima antiphona incipiat ab aliquo in secunda forma iuxta voluntatem ipsius regentis chorum. Secunda autem a suo pari ex opposito. in eadem forma. Cetera eodem modo. per ordinem in eadem forma. Versiculos ante laudes: ipse sacerdos dicat. Cetera omnia ut ad primas vespas prenotatum est sunt exequenda.

28.5 (a larger coloured black capital) Eadem<sup>35</sup> die dominica ad primam antiphona super psalmos incipiat a primo clerico in secunda forma. Antiphona super *Quicumque vult* ab aliquo in superiore gradu incipiat sicut fit in omni festo per annum. quando chorus regitur. Hac die et omni die per annum preterquam in festis duplicibus. responsorium *Jesu christe*: dicatur a quodam puero ex parte chori pro voluntate ipsius rectoris loco nec habitu mutato. In festis vero duplicibus idem responsorium dicatur a quo vis (*i.e.* quovis) in secunda forma. et ab eodem dicatur versus. Deinde in choro dicantur preces cum oratione. usque *Preciosa est*. post versiculum. *Qui replet in bonis desiderium tuum*.

29.1 **Que persona dicit Confiteor.** (E)piscopus si assit vel excellentior canonicus sacerdos dicat *Confiteor*. tam ad primam quam ad completorium. per totum annum quando dicitur *Confiteor*. Finita oratione in choro cum *Dominus vobiscum*. et *Benedicamus domino*: eant clerici processionaliter in capitulum.

30.1 **De ordinatione clericorum in capitulo.**<sup>36</sup> \S/edent autem in capitulo clerici hoc ordine. Proximus episcopo a dextris: sedet decanus. Dehinc: Cancellarius. Deinde archidiaconus Dorsete. Dehinc archidiaconus Wiltesirie. Deinde subdecanus. A sinistris autem: Cantor. Thesaurarius. archidiaconus Berkesirie. alius archidiaconus Wiltesirie. succentor. Proximi autem ipsis personis: sedent canonici presbiteri. Deinde canonici diaconi. Subdiaconi hincinde. Deinde vicarii presbiteri. postea ceteri de

<sup>35</sup> This word begins with an unusually large coloured black capital.

<sup>36</sup> A marginal note in a modern hand, (s. xix?), reads: \ordo locorum episcopi, decani, dignitatum, archidiaconorum, canonicorum, et vicariorum, et cetera in domo Capitulari, in generali Capitulo etc/. 'The order of places of the bishop, dean, dignitaries, archdeacons, canons and vicars and the others in the chapter house, in the general chapter etc.'

superiore gradu. vicarii. Deinde canonici de secunda forma. Deinde diaconi. subdiaconi. minorum ordinum clerici de eadem forma. Pueri vero sive fuerint canonici sive non: stent ante alios in area ex utraque parte pulpiti suo ordine dispositi. 30.2 In primis puer quidam (*recte* quidam) legat lectionem de martirlegio. sine *Jube domne*. et sine *Tu autem domine*. in superpellitio. Finita lectione. obitus si qui fuerint. pronuntiet. Sacerdos vero stans post lectorem si qui pronuntientur obitus: respondeat. *Anime eorum et anime omnium fidelium defunctorum per dei misericordiam requiescant in pace*. Deinde dicat *Preciosa est in conspectu*. Et cetera que ad illam horam pertinent. Quibus finitis: puer lector aliam lectionem cum *Jube domne* incipiat. et eandem cum *Tu autem domine*: finiat. Sacerdos autem facta benedictione ad lectionem in loco suo se recipiat. Puer vero finita lectione a pulpito descedat (*recte* descendat *vel* discedat) et tabulam legat.

31.1 **De tabule dominicalis dispositione.** (T)abula ita disponi debet. In primis scribi debent rectores chori. Canonici scilicet secundum ordinem quo scripti sunt in matricula ecclesie. bini. et bini per .xv. dies. Ad lectiones legendas. et responsoria cantanda. scribantur clerici in tabula pro dispositione ipsius cantoris. Deinde scribatur puer lecturus in capitulo. per ebdomadam. Deinde qui candelabra. quis thuribulum. quis aquam. quis acolytus. Ad missam: qui duo pueri Gradale. Qui duo de superiore gradu: *Alleluya*. Ita tamen quod pueri minores scribantur ad candelabra. et ad aquam. Maiores ad legendum in capitulo. et ad turibulum. et ad acolytum. Ad missam vero cantandam. et ad epistolam. et ad ewangelium legendum scribi debent canonici tantum eo ordine quo scribuntur in matricula ad illam (*recte* illa) officia exequenda. Et hec tabule dispositio locum (habet) in omnibus dominicis diebus per annum extra octabas.

32.1 **De tabula in dominica palmarum.** (I)n Dominica tamen Palmarum quedam predictis adiciuntur. scilicet qui duo de secunda forma deferant reliquias ad processionem. Qui tres de eadem forma ad *En rex venit*. Qui .vij<sup>tem</sup>. pueri ad *Gloria laus*. Qui tres sacerdotes ad *Unus autem*. scribantur.

33.1 **De tabula feriali.** (S)ecunda feria hoc modo tabula disponitur. In primis scribitur puer ebdomadarius ad primam lectionem legendam. Hic idem tenetur subministrare sacerdoti librum deferendum ad matutinas. et vespervas. ad collectas dicendas. Ad secundam aliquis in prima parte secunde forme ex opposito. Ad terciam aliquis de superiore gradu in primo capite.

33.2 Ad primum responsorium cantandum scribatur puer ebdomadarius. Dicuntur autem pueri ebdomadarii ad legendum et cantandum per ebdomadam illi qui ad primam lectionem. et ad primum responsorium scribuntur in tabula dominicali. ad secundum responsorium. et ad .iij. cantandum scribantur clerici iuxta ordinem lectorum. Et hoc observatur qualibet feria per annum. et quolibet festo trium lectionum sine regimine chori nisi in propriis vigiliis. et in .iij<sup>or</sup>. temporibus. et in rogationibus quando ad matutinas legitur evvangeli expositio. Tunc enim duo clerici de secunda forma scribuntur ad primam lectionem. et ad primum responsorium.

34.1 **Adiectio ad tab(u)lam feriale de collatione.** (I)n Quadragesima quoque singulis feriis scribuntur clerici ad legendam collationem. ita quod fiat inceptio ab excellentiore ex parte chori. et legatur in superiore gradu per .iij<sup>or</sup>. ebdomadas. Deinceps in secunda forma. Ita tamen quod in .iij<sup>ta</sup>. feria ante Pascha in prima forma legatur. In Annuntiatione Dominica tamen quando infra Passionem celebratur: in superiore gradu

legatur. Sciendum autem quod pueri ebdomadarii semper debent esse ex parte principali chori. Eorum vero qui ad candelabra sunt: unus ex una parte chori: alter ex (parte) opposita. Reliqui vero \tres:/<sup>37</sup> sunt in dispositione tabulam componentes (*recte* componentis).

**35.1 De tabula Natalis domini.** (I)n die Natalis Domini: tabule talis erit dispositio. In primis scribantur rectores chori. Deinde scribantur lectores et cantores. ad lectiones legendas. et ad responsoria cantanda: pro discretione tabulam componentium. ita ut lectiones pro dignitate personarum ita gradatim ascendant: ut semper excellentior extremam legat. Simili quoque modo cantores responsoriorum ordinentur. scilicet ut eorum quoque fiat ascensus ut excellentiores qui non legerint: ultimum responsorium cantent. ita etiam ut primam. et secundam lectionem duo canonici de secunda forma legant. terciam canonicus de superiore gradu. Primum. et secundum responsorium a duobus de secunda forma. Tercium a tribus de secunda forma cantetur. Sextum a tribus de superiore gradu. Ad primam missam scribantur rectores chori de superiore gradu duo. et de secunda forma duo. Ad *Kyrieleison*: tres. Ad laudes super *Gloria in excelsis*: duo. Ad Gradale: tres de secunda forma. Ad *Alleluia*: tres de superiore gradu. Ad secundam missam duo rectores tantum. de secunda forma scribantur. Ad Gradale: duo pueri. Ad *Alleluia*: duo de superiore gradu. Deinde quis puer in capitulo. cuius officium est deferre librum ad legendas lectiones: ad matutinas. et ad dicendas collectas. Pueri vero notati in tabula dominicali ad candelabra. et ad turibulum. et ad aquam. et ad acolitum per totam ebdomadam iuxta illam tabulam sua exequantur officia. Ad Gradale. tres de secunda forma. Ad *Alleluia*: iij<sup>es</sup>. excellentiores de superiore gradu. Ad evangelium. canonicus secundum ordinem matricule. et numerum dierum communis tabule. Et ad epistolam alius canonicus eodem modo et ordine.

**36.1 De tabula communi(.)** (S)ciendum etiam quod quamdiu tabula communiter discurrit: singulis diebus inmutantur rectores. Ab inceptioe enim communis tabule in omni simplici festo scribuntur duo rectores de secunda forma. per ordinem. facta inceptioe a principali capite formarum. In omni vero duplici festo duo principales rectores scribuntur pro voluntate ipsius cantoris. secundarii vero secundum predictum ordinem. Singulis etiam diebus dum tabula communiter discursit: mutantur. puer in capitulo. Missa. Evangelium. Epistola. ita scilicet quod lector in capitulo mutetur. a die Natalis quando in dominica evenerit usque ad Circumcisionem. vel usque ad primam dominicam \sub/sequentem<sup>38</sup>. Deinde sequatur tabulam dominicalem.

**36.2** Ad missam in festis duplicibus nullus scribatur. In ceteris vero diebus pro ordine matricule scribantur presbiteri. ad evangelium. et ad epistolam: scribantur canonici tam in festis quam in profestis singulis diebus eo ordine quo scribuntur in matricula. Sciendum autem quod si ordo presbiterorum. diaconorum. subdiaconorum. quo scribuntur in matricula possit extendi: usque ad secundam. vel terciam feriam. tunc proxima dominica precedente fiat tabula ebdomadaria. Si vero ultra terciam feriam possit extendi: tunc proxima dominica sequente fiat tabula ebdomadaria. Eadem regula servetur de ordine singulorum officiorum ita ut in mediis feriis vacantibus ad predicta officia exequenda scribantur clerici pro voluntate componentis tabulam. Incipienda est autem hec tabula communis de missa. et evangelia. et epistola: die dominica proxima ante diem Natalis. nisi quando dies Natalis die dominica contingit. Tunc enim ipsa die Natalis sumit initium.

<sup>37</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>38</sup> This insertion was made by the original text scribe.

36.3 Secunda vero tabula communis de eisdem incipit die Dominica Palmarum durans per ordinem presbiterorum usque ad ultimum. Per ordinem vero reliquorum non: nisi ad octabas Pasche. sive ibi terminetur sive non.

36.4 Tercia tabula communis de eisdem incipit proxima dominica. ante Ascensionem durans per illam ebdomadam tantum. que iterum die Pentecostes incipietur. sumpto initio ab illo in quem proximo terminata est. durans usque ad festum sancte Trinitatis vel ulterius quantum ad presbiteros sicut predistinctum est in tabula Pasche.

36.5 Transcursa vero tabula communi: revertitur ad solitum cursum tabule ebdomadarie. sumpto ipsius initio: ubi ante Natale terminata est. Huius tabule communis dispositio locum habet in omni tabula communi per annum.

37.1 **Adaptatio tabule Natalis in aliis festis duplicibus.** (S)ciendum autem quod Natalis tabule dispositio locum habet in omni duplici festo per annum .ix. lectionum. exceptis his. Festo sancto Michaelis. Omnium Sanctorum. Et sancti Andree. In festo enim sancti Michaelis. et sancti Andree. prima lectio solet esse in prima forma. Secunda. et tertia: in secunda forma. Deinde omnes lectiones in superiore gradu. servato ordine ascensus supranotato. Primum. et secundum responsorium in prima forma. tertium in secunda forma. Quartum in superiore gradu. et ita deinceps. hoc observato quod omnia responsoria dupliciter cantentur. preter .ix. quod a tribus de superiore gradu cantetur.

38.1 **De tabula in die omnium sanctorum.** (I)n festo vero Omnium Sanctorum hoc modo tabula disponitur. ut excellentior persona primam lectionem legat. et ita fiat descensus sicut ascensus in aliis festis duplicibus. ita quod quidam puer .vij<sup>vam</sup>. lectionem legat. ix. sacerdos. Primum responsorium a duobus excellentioribus cantetur. et sic fiat descensus modo lectorum ordine ipsorum cantorum. non numero mutato. ita quod .v<sup>que</sup>. pueri .vij<sup>vum</sup>. responsorium cantent.

39.1 **De tabula diei pasche.** (D)ie Pasche tabula talis erit. primo scribantur rectores chori. omnes de superiore gradu. Ad primam lectionem scribatur aliquis de excellentioribus personis. diaconus. et ita fiat ascensus ut excellentior persona terciam legat. Ad primum responsorium cantandum: scribantur duo canonici. et ita fiat ascensus. ut .iij<sup>um</sup>. responsorium a tribus excellentioribus qui non legerint: cantetur. Cetera omnia tabulam Natalis Domini: imitentur. Preterea in hac adicitur. quod duo diaconi de secunda forma deferant ad processionem ad vespas: oleum et crisma. Secunda. et tertia. et .iiij<sup>ta</sup>. feria Pasche duo diaconi de superiore gradu: primam et secundam. lectionem legant. terciam aliqua precellens persona. ita ut in ipsa lectione legenda: fiat descensus personarum iuxta numerum feriarum. Similis quoque ordo servetur in responsoriis cantandis per easdem ferias.

40.1 **De aptatione eiusdem tabule.** (H)ec itaque tabula diei Pasche locum habet in omnibus festis duplicibus trium lectionum preter processionem ad vespas. excepto quod in tabula diei Ascensionis scribuntur duo ad deferendas reliquias ad processionem. Exceptis octavo die Pasche. et Inventione sancte Crucis.

40.2 Octavo enim die Pasche terciam lectionem legat simplex canonicus diaconus ex parte chori. et ita fiat ascensus ut ultimam legat excellentior persona ex parte chori. Cetera omnia ut supra. in tabula die Pasche. ita tamen quod hac die Pasche fit tabula ebdomadaria de lectore in capitulo. de principalibus rectoribus chori. de ewangelio. et Epistola.

41.1 **De tabula dominicali a pascha usque ad pentecosten.** (In ceteris autem diebus dominicis usque ad Pentecosten hoc modo fiat tabula. Ad primam lectionem legendam et ad primum responsorium scribantur duo diaconi de secunda forma. Ad secundam et .iij. lectionem. et ad secundum. et tertium responsorium scribantur de superiore gradu clerici pro voluntate componentis tabulam. ita tamen quod .iij<sup>um</sup>. responsorium a duobus cantetur. Cetera fiant sicut in tabula octabarum Pasche. nisi quod in his dominicis ad cantandum *Alleluya* scribuntur pueri ebdomadarii.

42.1 **De tabule dispositione in inventione sancte crucis.** (In Inventione sancte Crucis eadem erit tabule dispositio que in octava die Pasche.

42.2 Secunda. tertia. et .iij<sup>ta</sup>. feria Pentecostes. secuntur tabulam earundem feriarum ebdomade Pasc(h)alis. Quinta .vj<sup>ta</sup>. et vij<sup>ma</sup>. feria Pasche. et Pentecostes. scribantur rectores chori duo de secunda forma. lectiones sint in superiore gradu pro dispositione ipsius componentis tabulam. Ad primum responsorium scribantur duo de secunda forma. Similiter ad secundum. Ad tertium: de superiore gradu. Ad Gradale: in predictis feriis Pasche. et ad primum *Alleluya*: in eisdem feriis [Pasche.]<sup>39</sup> Pentecostes. scribantur duo pueri. Ad *Alleluya* secundum: duo de superiore gradu.

43.1 **De feriali tabula post octabas pasche.** (In omni secunda feria. ab octabis Pasche usque ad Dominicam Rogationum nominatim scribantur ebdomadarii. prime lectionis. et primi responsorii quando de feria agitur. In secunda etiam feria post octabas Pasche scribantur duo pueri ad cantandum *Alleluya* per ebdomadam. In aliis omnibus observatur dispositio tabule ferialis alterius temporis. Post Dominicam vero Rogationum si secunda feria lecta fuerit expositio. et .iij<sup>a</sup>. feria vacaverit: ibi scribantur duo pueri ebdomadarii ad legendum. et cantandum in eadem feria. et vj<sup>ta</sup>. et sabbato. Si vero .iij<sup>a</sup>. feria non vacaverit. vel in ea expositio lecta fuerit: tunc ante .vj<sup>tam</sup>. feriam non scribantur. Tabula vero secunde ferie post Ascensionem similis est per omnia tabule secunde ferie ante Dominicam Rogationum. In feriis autem quando expositio legenda fuerit: ad primam. et ad secundam lectionem. et ad primum. et ad secundum responsorium. scribantur diaconi de secunda forma. Ad tertiam lectionem. et ad .iij<sup>um</sup>. responsorium. duo de superiore gradu.

44.1 **De tabula sancti Thome apostoli et aliorum festorum In quibus Invitatorium a tribus cantatur.** (In die sancti Thome apostoli tabula hoc modo componitur. Rectores ebdomadarii non mutantur. sed tertius de superiore gradu ex parte chori pro voluntate cantoris ad Invitatorium eis in tabula associatur. Ad duas primas lectiones. et ad duo prima responsoria scribuntur pueri \ut/<sup>40</sup> in tabula dominicali. Tercia lectio: a subdiacono secunde forme. et tertium responsorium. a duobus eiusdem ordinis et forme clericis dicantur. Ad quartam lectionem. et ad .iij<sup>tum</sup>. responsorium. duo diaconi de eadem forma scribantur. Ad .v<sup>tam</sup>. lectionem. et ad .v<sup>tum</sup>. responsorium. et deinceps scribantur clerici de superiore gradu. ita tamen quod .vi<sup>tum</sup>. et .ix<sup>num</sup>. responsorium a duobus cantetur. Ad *Alleluya*: duo de superiore gradu. Hec tabule dispositio locum habet in omni festo .ix. lectionum. quando Invitatorium a tribus cantatur.

44.2 Cantatur autem a tribus(:)  
in omni simplici festo alicuius apostolorum.  
et evangelistarum.

<sup>39</sup> This deletion was made by the original text scribe.

<sup>40</sup> This insertion was made by the original text scribe.



et in octabis Epiphanie.  
 et Ascensionis.  
 et in octabis Petri. et Pauli.  
 In festo beate Marie Magdalene.  
 et sancti Laurentii.  
 et in De(c)ollatione sancti Johannis.  
 et in octabis Assumptionis. beate Marie.  
 et in Exaltatione sancte Crucis.  
 et in festo sancti Michaelis in monte tumba.  
 et sancti Martini.  
 et sancti Nicholai.  
 In die apostolorum Philippi et Jacobi: servetur cursus tabule .v<sup>te</sup>. ferie ebdomade  
 Pasche.

**45.1 De tabula sancti Marc<i> et parium festorum in paschali tempore.** (I)n festis sancti Marci. et sancti Johannis ante portam Latinam. et sancti Barnabe quando ante Pentecosten contingunt: ita fiat tabula. Ad primam lectionem. et ad primum responsorium scribantur duo diaconi de secunda forma. et ad secundam. et .ij<sup>am</sup>. lectionem. et ad .ij<sup>dum</sup>. et .ij<sup>um</sup>. responsorium scribantur clerici de superiore gradu. pro voluntate componentis tabulam. ita quod .ij<sup>um</sup>. responsorium a duobus cantetur. Ad *Alleluia*: duo de superiore gradu. In aliis vero simplicibus festis cum regimine chori a Pascha usque ad Pentecosten. prima. et .ij<sup>da</sup>. lectio. et primum et .ij<sup>dum</sup>. responsorium a clericis secunde forme. .ij<sup>a</sup>. lectio. et .ij<sup>um</sup>. responsorium dicantur a clericis de superiore gradu. Si infra octabas Ascensionis. responsorium dupliciter. Si extra: simpliciter. *Alleluia*: a duobus de superiore gradu.

**46.1 De tab<ul(a) infra> octabas. <et in> dominicis <infra> octabas. et in ipsis octabis.** (I)nfra autem octabas quaslibet sequendus est cursus tabule ferialis. Dominica infra octabas sequatur tabulam aliarum dominicarum. nisi in dominicis infra octabas Natalis Domini. et Epiphanie. et Assumptionis. et Nativitatis beate Marie Virginis. in quibus .ix. responsorium a duobus cantatur. Ipse octave apostolorum sequantur tabulam sui temporis.

**47.1 De <tab>ula in tribus noctibus <ant(e pascha)>.** (I)n tribus noctibus ante Pascha. in lectionibus legendis. et responsoriis cantandis fiat tabula sicut in festis simplicibus. .ix. lectionum. Ad *Kyrieleison* cantandum eisdem noctibus duo subdiaconi de secunda forma. Ad *Domine miserere*: duo diaconi de eadem forma. Ad versus cantandos: duo presbiteri scribantur.

**48.1 De tabula simplicium festorum .ix. lectionum.** (T)abula vero simplitium festorum .ix. lectionum: sequitur tabulam dominicarum simplitium in lectionibus legendis. et responsoriis cantandis. In festo tamen sancti Silvestri pro reverentia temporis. .ix. responsorium a duobus cantatur.

**49.1 De modo exequendi horas diei in prima dominica adventus domini.** (P)redicta die dominica ad terciam principalis rector chori ebdomadarius ymnum incipiat vel incipi fatiat. ab aliquo de superiore gradu. Antiphona super psalmos incipiat a secundo clerico de secunda forma. ex parte chori. et ita ceterae antiphonae ad ceteras horas per ordinem. discurrant. Psalmum intonet vel intonari fatiat. ab aliquo de superiore gradu: predictus rector chori. Nulla enim ymni. vel psalmi inceptio. vel intonatio fieri debet

ullo die per annum nisi in superiore gradu. quando chorus non regitur. Responsorium dicatur in secunda forma. a clerico proximo illi qui antiphonam incepit. Capitulum. et collectam dicat sacerdos loco nec habitu mutato. Similis modus et ordo servetur in ceteris horis dicendis.

49.2 Eadem die ad secundas vespervas antiphona super psalmos incipiat a primo clerico subdiacono. Secunda antiphona a suo pari ex opposito incipiat. Ceterae antiphonae simili modo per ordinem discurrant. Hic ordo servetur in omnibus dominicis diebus per annum super his antiphonis incipiendis. Responsorium ab aliquo de secunda forma cantetur. iuxta voluntatem ipsius rectoris loco nec habitu mutato. Hoc eodem modo cantetur responsorium omni die dominica quando de temporali agitur. et responsorium habetur. Excepta Dominica Palmarum. tunc enim cantetur responsorium ab aliquo de superiore gradu. Sciendum autem quod solummodo in Adventu et in Quadragesima dicitur responsorium diebus dominicis ad secundas vespervas. Completorium non mutatur.

### 50.1 **Adaptatio servitii diei dominice prime in adventu in aliis dominicis per annum.**

(S)icut in hac die dominica. ita singulis diebus dominicis expletur servitium per annum quando de temporali agitur(.) Excepto quod non qualibet die dominica dicitur responsorium ad vespervas. et excepto quod in Quadragesima in dominicis dicitur responsorium et ad utrumque completorium ab aliquo de secunda forma pro arbitrio rectoris ebdomadarii. et excepto quod per .iiij<sup>or</sup>. extremas dominicas Quadragesime dicuntur tres versus post antiphonam super *Nunc dimittis* ad utrumque completorium. In sabbatis autem: in superiore gradu. In dominicis: in secunda forma. In Dominica Palmarum in superiore gradu dicuntur. Similiter in quolibet festo .ix. lectionum tres versus post antiphonam super *Nunc dimittis* per .iiij<sup>or</sup>. extremas ebdomadas in Quadragesima ad utrumque completorium dicuntur modo predicto. excepta Annuntiatione Dominica. tunc enim ad utrumque completorium in superiore gradu dicitur (*recte* dicuntur) versus.

50.2 et excepto quod in Dominicis Passionis Domini una sola antiphona dicitur super psalmos in singulis nocturnis quarum (prima incipitur) in prima forma. Secunda: in secunda forma. tertia: in superiore gradu.

50.3 Similiter ad matutinas una sola antiphona dicitur super psalmos. et illa incipitur in superiore gradu. et una sola antiphona in laudibus.

50.4 In octabis tamen Pasche .v<sup>que</sup> antiphonae in laudibus dicuntur in superiore gradu. et in proxima dominica ante Ascensio(n)em<sup>41</sup> .v<sup>que</sup>. in secunda forma. et exceptis quibusdam (*recte* quibusdam festis?) que ad tabulam dominicalem illius temporis pertinent. et exceptis mediis dominicis post inceptio(n)em historiarum. tunc enim una sola antiphona dicitur in laudibus. Et excepto tempore Paschali. tunc enim in sabbatis non dicitur nisi \una/<sup>42</sup> antiphona super psalmos.

51.1 **De modo exequendi officium feriale in secunda feria adventus.** (S)ecunda feria in Adventu. Invitatorium a cantore quesitum cantet aliquis de secunda forma vice rectoris ebdomadarii. Ymnus in superiore gradu incipiat. ad dispositionem rectoris. Cetera etiam omnia quod (*recte* que) ad generale officium rectoris pertinent. idem rector per se vel per alium exequatur. Prima antiphona: a primo prime forme incipiat. secunda antiphona. a sibi opposito prime vel secunde forme. et cetera

<sup>41</sup> A blank space was left after this word, which would have been sufficient for the insertion of the word *eadem*.

<sup>42</sup> This insertion was made by the original text scribe.

secundum ordinem discursant. ita quod .v<sup>ta</sup>. incipiatur a primo clerico secunde forme ex parte chori.

51.2 In laudibus prima. et iij<sup>a</sup>. antiphona a predictis duobus pueris incipiantur. Cetera in secunda forma incipiantur ordine clericorum continuato prius incepto. Cetera omnia que ad matutinas pertinent ut in dominica expleantur. excepto quod in feriis omnes ymni in superiore gradu incipiuntur. Et preterea sacerdos in collectis dicendis locum nec habitum mutat. ad vespervas. et ad matutinas. Preterea non incensatur altare in feriis ad matutinas. vel ad vespervas ad *Magnificat*. et ad *Benedictus*.

51.3 Ad primam antiphona super psalmos a primo prime forme. incipiatur. ex parte chori. Antiphonam super *Quicumque vult*. primus de secunda forma incipiat. Responsorium: ab aliquo prime forme dicatur. Cetera omnia ut in precedenti dominica. nisi quod in hac feria ad omnes horas preces cum prostrationibus fiunt. Ad tertiam antiphonam super psalmos incipiat puer ebdomadarius responsorii. et responsum cantet. Cetera fiant ut in precedente dominica. Ad sextam eodem modo fiant omnia sicut ad tertiam. Ad nonam antiphona super psalmos incipiatur a primo clerico secunde forme. Responsorium: a sibi proximo cantetur. Cetera ut in aliis horis.

51.4 Ad vespervas primam antiphonam incipiat primus prime forme. Secundam: sibi oppositus de eadem forma. Cetera omnes in eadem forma per ordinem discursant. Responsorium cantet puer ebdomadarius responsorii. Cetera fiant ut superius ad matutinas. Ad completorium antiphonam super psalmos incipiat quidam de prima forma. pro voluntate rectoris ebdomadarii. Cetera ut in dominica. nisi quod hic fiunt preces cum prostrationibus.

52.1 **Adaptatio eiusdem in aliis feriis per annum.** \M/odus et ordo servitii huius ferie singulis feriis per annum servetur quando de temporali agitur. ex(cepto) quod extra Adventum et Septuagesimam puer ebdomadarius responsorii non tenetur interesse tercię. nec ceteris horis sequentibus diei. et preterquam in Sexagesima (*recte* Quadragesima) quia tunc ad nonam antiphona super psalmos a puero ebdomadario incipitur. et responsum ab eodem cantatur. Ad completorium quoque responsum ab aliquo prime forme cantatur. Ad vespervas etiam in alio tempore quam in Adventu. et in Quadragesima in feriis non dicitur responsum.

52.2 Preterea in Paschali tempore ad matutinas. et ad vespervas non dicitur nisi una sola antiphona super psalmos. nec etiam in laudibus. neque preces fiunt cum prostrationibus. Preterea in Quadragesima omnes hore diei ante missam dicuntur. Post missam vero sine intervallo. *Placebo*. et vespere diei. Deinde vespere de sancta Maria. Post prandium autem pulsata collatione dicuntur vigilie mortuorum. Deinde legitur in collatione habitu non mutato. Postea sequitur completorium.

53.1 **Modus exequendi officium in die Natalis domini.** (In die Natalis Domini ad primas vespervas primam antiphonam super psalmos incipiat aliquis excellentior persona. post illum qui exequitur officium illius diei. Secunda ab excellentiore alterius partis chori incipiatur. et ita discurrant singule personarum dignitate. Capitulum episcopus in cappa serica dicat loco non mutato. Responsorium: cantor. et alie due persone cantent pro dispositione ipsius cantoris in cappis sericis.

53.2 Dum ymnus canitur duo pueri qui serviunt de thuribul[o](is)<sup>43</sup> duas cappas de serico deferant principali sacerdoti quarum alteram alteram<sup>44</sup> (*recte* quarum alteram) alii sacerdoti pro voluntate sua transmittat. ad thurificandum altare. Versiculum dicant

<sup>43</sup> This alteration appears to have been made by the original text scribe.

<sup>44</sup> An erroneous dittography at a line break.

duo pueri in superpelliciis. Antiphonam (*recte* Antiphonam) super *Magnificat* excellentior persona ex parte chori incipiat. et si episcopus fuerit presens: cantor ipsam antiphonam iniungat ei.

54.1 **De modo thurificandi. altare (*recte* thurificandi altare).** (P)ost inchoationem antiphone procedat offitii executor cum alio sacerdote post illum excellentiore ad thurificandum altare. cum duobus thuribulis. de quorum uno ministrabit puer ebdomadarius. de reliquo vero alius puer pro dispositione sacristarum.

54.2 Si episcopus fuerit presens secundarius sacerdos cum capellano episcopi procedant ad thurificandum cetera altaria. excellentior in partem orientalem. secundarius in partem eat orientalem (*recte* occidentalem). Quibus thurificatis: ambo conveni[un]t<sup>45</sup> ad hostium presbiterii ex parte australi. et sic intrent et thurificent episcopum in sua sede. Deinde inferior thurificet superiorem ante gradum chori. Si episcopus non fuerit presens: secundarius incenset superiorem in sede sacerdoti ebdomadario constituta.

54.3 Ad collectam dicendam solus episcopus locum non mutet. *Benedicamus* a duobus de secunda forma dicatur. in superpellitiis.

54.4 Ad completorium antiphonam super psalmos unus de superiore gradu incipiat. Versiculum dicat quidam puer loco nec habitu mutato. Antiphonam super *Nunc dimittis* incipiat unus de excellentioribus pro dispositione rectoris.

54.5 Ad matutinas antiphone super psalmos eodem modo hincinde discurrant: sicut ad primas vespervas. Singuli versiculi a duobus pueris in superpelliciis dicantur ad gradum. Sex lectiones in superpellitiis legantur. Septima. vij<sup>va</sup>. et ix<sup>na</sup>. in cappis sericis.

54.6 Singula responsoria in superpellitiis ad gradum dicantur. Lectores et cantores ad vespervas. et a<sup>d</sup><sup>46</sup> matutinas. et ad missam postquam legerint et cantaverint: coram episcopo ad benedictionem se humilient.

54.7 Sciendum autem quod in singulis nocturnis. ad secundam. et .v<sup>tam</sup>. et .vij<sup>vam</sup>. lectionem incensatur altare ab aliquo sacerdote in cappa serica ex utraque parte chori vicissim assumpto. Chorus quoque ab uno solo puero incensatur. Finito ultimo responsorio et cantato evangelio *Liber generationis*: principalis sacerdos in cappa serica loco non mutato incipiat *Te deum laudamus*. Postea cum suo secundario sacerdote thure ipsis thuribulis ab ipso principali sacerdote ante gradum chori imposito altare incensent. predicto modo. Cetera tamen altaria non incensentur.

54.8 Sciendum tamen quod quandocumque presens fuerit episcopus ab eo super thus a sacerdote vel diacono thuribulis inponendum: fiat benedictio loco non mutato.

54.9 Finito *Te deum laudamus* statim cantetur prima missa. qua finita: principalis sacerdos versiculum dicat ante laudes. Antiphone super laudes in superiore gradu discurrant per ordinem. in ceteris antiphonis prius inceptum et non completum. Capitulum et cetera omnia que ad matutinas pertinent eo modo et ordine expleantur: quo ad vespervas. excepto quod ad matutinas non incensatur nisi principale altare. et preterea ultimum *Benedicamus* a duobus pueris in superpellitiis dicatur.

54.10 Ad primam antiphona super psalmos in superiore gradu. Antiphona super *Quicumque vult* a secundo excellentiore ex parte chori incipiat. *Jesu christe*: ab aliquo de secunda forma pro voluntate secundarii rectoris dicatur loco nec habitu mutato. Cetera que ad primam pertinent: non mutantur.

<sup>45</sup> This alteration was made by the original text scribe.

<sup>46</sup> This insertion was made by the original text scribe.

54.11 Ad tertiam antiphona super psalmos in superiore gradu. responsoria (*recte* responsorium) in secunda forma pro voluntate rectoris. Idem modus in ceteris horis servetur.

54.12 Ad secundas vespervas prima antiphona super psalmos pro voluntate ipsius cantoris ab aliquo canonico in superiore gradu incipiatur. Secunda: simili modo ex opposito. et ita de ceteris. Responsorium a tribus excellentioribus pro di(s)positione cantoris cantetur. Cetera omnia ut supra: ad matutinas. et ad primas vespervas. Finito [...] primo *Benedicamus*. omnes diaco(ni) ab altari sancti Nicholai processionaliter in cappis sericis accensos cereos deferentes per medium chorum ad altare sancti Stephani accedant. et ibi cantato responsorio. et finita memoria de sancto Stephano: iterum processionaliter aliquod responsorium de sancta Maria cantantes in chorum redeant. et ibi ita expectent quousque illius memorie oratio finiatur. *Benedicamus* a duobus diaconis dicatur. Ad completorium antiphona super psalmos a canonico de superiore gradu incipiatur. Cetera non mutantur.

55.1 **Adaptatio eiusdem festi in aliis festis duplicibus.** (S)imili modo expletur servitium. in aliis duplicibus festis maioribus .ix. lectionum. in his scilicet.

In Epiphania.

Purificatione.

In festo sancte Trinitatis.

In Assumptione.

et Nativitate beate Marie.

Et in festo Reliquiarum.

Et in festo Omnium Sanctorum.

excepto quod in festo Omnium Sanctorum servatur ordo preposterus. in lectionibus legendis. et responsoriis cantandis. quantum ad dignitatem lectorum. et cantorum. et vij<sup>vum</sup>. responsorium a .v<sup>que</sup>. pueris in superpellitiis et amictibus capita velatis. cereosque accensos singulis deferentibus cantatur. Et excepto quod in his festis duplicibus non cantatur evangelium ad matutinas nisi in Epiphania. Preterea in nullo alio predictorum festorum aliqua lectio legatur nisi in superpelliciis(.

56.1 **De minoribus festis duplicibus.** (I)n aliis etiam minoribus festis duplicibus ut in die sancti Thome martyris.

Annuntiatione Dominica.

Nativitate sancti Johannis Bap(t)iste (*i.e. Baptiste*).

In festo apostolorum Petri et Pauli.

In festo sancti Michaelis.

et sancti Andree.

potest predictus modus servitii servari. Excepto quod ad primas vespervas. et ad secundas una sola antiphona super psalmos dicitur. et illa incipitur in superiore gradu pro voluntate cantoris. Preterea in his festis ad vespervas non incensatur nisi principale altare

56.2 nec ad matutinas in nocturnis incensatur altare: vel chorus. Preterea ultima lectio non semper ab excellentiore legitur. sed ab excellentiore ex parte chori.

56.3 Preterea in festo sancti Michaelis. et sancti [...] Andree. prima lectio in prima forma legitur. ij<sup>a</sup>. et .iiij<sup>a</sup>: in secunda forma. Primum. (et) ij<sup>dum</sup>. responsorium in prima forma. iiij<sup>um</sup>: in secunda forma. Preterea nullum responsorium a tribus cantatur nisi nonum.

56.4 Preterea omnes antiphone super laudes pro dispositione rectoris in secunda forma discurrunt.

57.1 **De modo exequendi vespervas in vigilia pasche.** (I)n vigilia Pasche ad vespervas sine regimine chori antiphona super psalmos a. quodam (*recte* a quodam) canonico in superiore gradu incipi\a/tur.<sup>47</sup> Similiter super *Magnificat* ab excellentiore ex parte chori. Postcommunio vice collecte ad vespervas dicatur et *Ite missa est* in loco *Benedicamus*.

58.1 **De die pasche.** (I)n die Pasche tres antiphone super psalmos eodem modo discurrant sicut tres prime Natalis Domini. et .iij<sup>es</sup>. lectiones. et .iij<sup>a</sup>. responsoria sicut in tercio nocturno diei Natalis Domini. Preterea altare non incens[en]\a/tur.<sup>48</sup> hac die nisi ad *Te deum laudamus*. et *Benedictus*. In laudibus antiphone et cetera eodem modo discurrant. ut in nocte Natalis Domini.

58.2 In antiphonis ad primam et ad alias horas incipiendis: idem modus qui in die Natalis servetur. Versiculos tamen ad omnes horas per totam hanc ebdomadam dicat sacerdos ante collectam.

58.3 Ad secundas vespervas rectores ex parte chori conversi ad chorum incipiant *Kyrieleison*. Antiphona super psalmos in superiore gradu pro voluntate cantoris incipiatur. Gradale: a duobus ex illis qui cantaverint ad missam. cum eodem versu cantetur habitu non mutato. Similiter *Alleluya* a duobus ex illis qui cantaverint de superiore gradu. Cetera omnia usque ad processionem: ut in die Natalis. Dicto *Benedicamus*: eat processio ad fontes per hostium presbiterii australe cum cruce. ceropherariis. turibulo. oleo et crismate. et puero deferente librum an(te) sacerdotem. et omnes illi sint albis induti. preter puerum qui defert librum ante sacerdotem. qui sit in superpellitio. et sacerdotem qui similiter erit in superpellicio cum cappa de serico. Rectores vero antiphonas in eundo et redeundo incipiant. Peracta processione sicut in ordinali describitur: et finita memoria de sancta Maria: dicatur *Benedicamus* a duobus pueris(.)

58.4 Ad completorium antiphona incipiatur a quodam de superiore gradu.

58.5 (F)eria<sup>49</sup> .ij<sup>a</sup>. antiphona super psalmos in superiore gradu incipiatur. Lectiones et responsoria: in superiore gradu legantur et cantentur in superpelliciiis. Cetera omnia ut in die Pasche nisi quod ad laudes una sola antiphona dicitur. que in superiore gradu incipitur.

58.6 Post *Benedictus* eat processio ad crucem per hostium chori occidentale cum cruce. et ceropherariis. et thuribulo. et puero deferente librum ante sacerdotem. qui omnes erunt in eodem habitu quo ad vespervas. preter illum qui defert crucem in superpellitio.

58.7 In statione duo de superiore gradu dicant versum ad chorum conversi in superpellitiis. Finita processione in chorum redeant. Ceteraque fiant ut supra ad processionem ad vespervas.

58.8 Ad primam et ad ceteras horas omnia fiant ut in die Pasche(.) Ad vespervas et ad completorium eodem modo fiant omnia sicut in die Pasche.

59.1 **De .iij<sup>a</sup>. et .iiij<sup>a</sup>. feria pasche.** (M)odus et ordo servicii .ij<sup>e</sup>. et .iiij<sup>e</sup>. ferie similis est per omnia servitio huius ferie.

<sup>47</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>48</sup> This alteration was made by the original text scribe.

<sup>49</sup> The text scribe left sufficient space before this word for a rubric and a large decorated initial.

60.1 **De octavis pasche.** (O)ctava die Pasche ad vespervas antiphona super psalmos in superiore gradu incipiat. pro voluntate rectoris. Antiphonam super *Magnificat* unus de excellentioribus ex parte chori incipiat. Cetera fiant ut in die Pasche. ad vespervas preter Gradale. et *Alleluja*. et processionem.

60.2 Completorium fiat sicut in aliis duplicibus festis .ix. lectionum.

60.3 Ad matutinas antiphone super psalmos. lectiones. et responsoria. in superpellitiis in superiore gradu discurrant pro voluntate cantoris. In laudibus antiphone eodem modo in superiore gradu discurrant. Cetera omnia ut supra. in feriis (preter) processionem.

60.4 Ad primam et ad alias horas idem modus servetur qui in duplicibus .ix. lectionum.

60.5 Ad secundas vespervas antiphone super psalmos et super *Magnificat* in superiore gradu incipiantur pro voluntate rectoris. Cetera ad vespervas et ad completorium ut in festis duplicibus novem lectionum.

61.1 **Adaptatio in aliis festis duplicibus in paschali tempore.** (M)odus et ordo servicii huius diei servetur in Annuntiatione Dominica quando post Pascha celebratur. et in Inventione sancte Crucis. excepto quod ibi ad utrasque vespervas dicitur responsorium ut in duplicibus .ix. lectionum.

61.2 Quinta. et vj<sup>ta</sup>. et .vij<sup>ma</sup>. feria ebdomade Pasche. et Pentecostes antiphone super psalmos ad vespervas in superiore gradu. Versiculus a duobus pueris. Cetera ut in suis secundis feriis. Ad matutinas antiphona super psalmos in superiore gradu. lectiones. (et) responsoria in superpellitiis dicantur.

61.3 In laudibus antiphona in secunda forma. Cetera omnia ut ad suas primas vespervas.

61.4 Ad primam et ad alias horas ut in dominicis sui temporis.

62.1 **De modo exequendi officium in ascensione domini.** (I)n vigilia Ascensionis ad vespervas antiphona super psalmos inchoetur ab aliquo excellent(i)ore ex parte decani. Responsorium cantent tres de excellentioribus. Antiphona super *Magnificat* ab executore illius diei inchoetur. Cetera omnia ad vespervas. et ad completorium ut in ceteris duplicibus .ix. lectionum.

62.2 Ad matutinas in antiphonis incipiendis. in lectionibus legendis. et responsoriis cantandis idem ordo et modus servetur ut in die Pasche. Ad primam et a(d) alias horas idem modus et ordo servetur. qui in octabis Pasche. Excepto quod hic ad secundas vespervas responsorium cantatur a tribus de excellentioribus.

62.3 Modus et ordo servitii diei Pentecostes idem est per omnia: qui in die Asce(n)sionis.

62.4 Servitium vero trium feriarum sequentium sequatur modum et ordinem earundem feriarum ebdomade Pasche in antiphonis incipiendis. in lectionibus legendis et responsoriis cantandis.

63.1 **De modo exequendi officium in festo sancti Thome apostoli.** (I)n vigilia sancti Thome apostoli. ad vespervas antiphona super psalmos: in superiore gradu pro voluntate rectoris incipiat. Responsorium duo de superiore gradu. Versiculus duo pueri in superpellitiis.

63.2 Antiphona super *Magnificat* in superiore gradu. *Benedicamus* duo de secunda forma. in superpellitiis. Secundum *Benedicamus* unus dicat loco nec habitu mutato. Cetera omnia ad vespervas et ad completorium ut in dominicis.

63.3 Ad matutinas Invitatorium a tribus cantetur in cappis sericis. prima. et .ij<sup>a</sup>. antiphona: in prima forma. tercia. a subdiacono in secunda forma. .iiij<sup>ta</sup>. a diacono de eadem forma ex opposito. v<sup>ta</sup>. et deinceps in superiore gradu pro voluntate rectoris. Lectiones leguntur habitu non mutato. excepto quod .iiij<sup>um</sup>. et .vj<sup>um</sup>. et .ix<sup>num</sup>. responsorium in superpelliciis dicantur.

63.4 In laudibus antiphone in secunda forma hincinde discurrant. pro voluntate rectorum ordine servato incepto inchoatione .iiij<sup>e</sup>. et .iiij<sup>e</sup>. antiphone. Cetera omnia ut ad primas vespas. Ad primam et ad alias horas omnia fiant ut in dominicis.

64.1 **Adaptatio eiusdem in aliis festis quando Invitatorium est duplex (recte triplex).**

(Iste modus et ordo servicii servetur in omnibus festis. et octavis .ix. lectionum quando Invitatorium est triplex. In die apostolorum Philippi et Jacobi: servetur modus et ordo .v<sup>te</sup>. ferie ebdomade Pasche. excepto quod hic dicitur ad primas vespas responsorium a duobus de superiore gradu et nulla fit processio.

64.2 In festis sancti Marci. et sancti Johannis ante portam Latinam. et sancti Barnabe apostoli quando ante Pentecosten contingit: antiphona super psalmos ad primas vespas [...] <sup>50</sup> in superiore gradu. et cetera omnia ad vespas. et ad completorium ut in festis .ix. lectionum quando Invitatorium a tribus dicitur. Ad matutinas antiphona super psalmos in superiore gradu. lectiones. et responsoria. habitu non mutato dicantur. excepto .iiij<sup>o</sup>. responsorio quod in superpelliciis dicitur.

64.3 Cetera omnia ad matutinas et ad alias horas diei ut in festis .ix. lectionum aliorum apostolorum.

65.1 **De modo exequendi officium in simplicibus festis .ix. lectionum.** (In

simplicibus vero festis .ix. lectionum minoribus: servetur modus et ordo servicii dominicarum simplitium. habentium responsorium in secunda forma. excepto quod antiphona super psalmos et responsoria (recte responsorium) ad primas vespas in superiore gradu dicuntur. In festis sancti Vincentii. et sancti Dionisii. et sancti Clementis. In aliis vero simplitibus festis cum regimine chori a Pascha usque ad Pentecosten. ad utrasque vespas. et ad alias horas diei omnia fiant sicut in ceteris simplicibus alterius temporis. Ad matutinas .i<sup>a</sup>. et .ij<sup>a</sup>. lectio. (et) primum et .ij. responsorium in secunda forma. tercia lectio. et .iiij<sup>um</sup>. responsorium in superiore gradu dicantur. habitu non mutato. Infra octabas cum regimine chori ad vespas. et ad horas diei sicut in festis simplicibus cum regimine chori sui temporis. Ad matutinas .i<sup>a</sup>. et .ij<sup>a</sup>. et .iiij<sup>a</sup>. antiphona in prima forma. cetere in secunda forma. In feriis infra octabas Ascensionis .i<sup>a</sup>. antiphona in prima forma. ij<sup>a</sup>. et .iiij<sup>a</sup>. in secunda. lectiones et responsoria: ut in aliis feriis. In laudibus (ut) in festis simplicibus minoribus cum regimine chori sui temporis. In dominicis autem diebus infra octabas servetur modus et ordo servicii qui in aliis dominicis. exceptis illis que in tabulis illarum dominicarum excipiuntur.

65.2 In festis .iiij<sup>um</sup>. lectionum sine regimine chori et in omni commemoratione beate Virginis servetur modus et ordo qui in feriis per omnia nisi quod in quibusdam talibus festis. et in ipsis commemorationibus beate Virginis. Invitatorium a duobus dicitur. In his scilicet(:

---

<sup>50</sup> Some erasure.



66.1 In quibus festis .iiij<sup>a</sup>. (*recte* .iiij<sup>um</sup>.) lectionum Invitatorium a duobus cantatur.

**Mense Januarii.**

(S)ancti Juliani episcopi et confessoris.

Agnētis secundo.

**Mense februarii.**

(S)ancti Blasii.

(S)ancte Juliane(.

(S)ciendum autem quod si hec predicta festa infra Septuagesimam evenerint:

Invitatorium erit simplex. preterea omnia festa sine regimine chori ab octavis Pasche usque ad Pentecosten: Invitatorium habent duplex. Similiter omnia talia festa que contingunt infra ebdomadam sancte Trinitatis.

**Mense Junii.**<sup>51</sup>

(S)anctorum Marcellini. et Petri.

(S)ancti Bonefatii sotiorumque eius.

(P)rimi et Felitiani.

(B)asilidis(.) Cirini. Naboris. et Nazarii.

(C)rescentie.

(V)iti. et Modesti.

(M)arci (et) Marcelliani martyrum.

(G)ervasii et Prothasii.

(T)ranslatio sancti Edwardi.

(J)ohannis et Pauli.

**Mense Julii.**

(P)rocessi et Martiniani.

(S)eptem Fratrum martyrum.

(T)ranslatio sancti Benedicti.

(S)ancti Kenelmi.

(S)eptem Dormentium.

(S)ancti Sampsonis.

(F)elicis. Faustini. Simplitii. et Beatricis \martyrum/.<sup>52</sup>

(S)anctorum Abdon. et Sennen. martyrum.

**Mense augusti.**

(S)ancti Stephani pape. et martyris.

(O)swaldi regis. et martyris.

(S)yxti. Felicissimi. et Agapiti.

(C)yriaci. sociorumque eius.

(T)yburtii.

(I)politi.

(R)ufi.

(F)elicis. et Ad(a)ucti. martyrum.

**Mense septembris.**

(T)ranslatio sancti Cuthberti.

(C)ipriani. et Justine.

(C)osme. et Damiani.

**Mense octobris(.**

(M)arci. Ma(r)cellini (*recte* Marcelli). et Apulei.

(N)igassii sociorumque eius.

<sup>51</sup> The names of this and the following months are written in the margin by a second scribe (s. xiii) in a lighter shade of ink; they (now) duplicate the rubrics.

<sup>52</sup> This insertion was made by the original text scribe.

(C)alixti pape.  
 (U)ndecim milia Virginum.  
 (C)rispini. et Crispiniani. martyrum.  
**Mens(e) Novembris.**  
 (S)anctorum Coronatorum.  
 (B)ricii episcopi et confessoris.  
 (A)niani confessoris.  
 (O)ctabe sancti Martini.  
**Mense Decembris.**  
 (O)ctabe sancti Andree apostoli.

**67.1 De modo benedicendi aquam Dominica in adventu et in aliis Dominicis.**

(D)ominica prima in Adventu peractis his que ad capitulum pertinent: Sacerdos ebdomadarius cum diacono et subdiacono. textum deferente. et puero deferente turibulum. et ceropherariis. et acolito crucem ferente. omnibus albis indutis. et ad altare in medio presbiterii. conversis in capa serica ad gradum chori fatiat aquam benedictam. et puer qui ad aquam scribitur in tabula. in superpellitio ei subministret. tenendo sal dum benedicatur. et aquam benedictam gestando. Puer vero ebdomadarius lectionis ad matutinas sacerdoti in libro tenendo in superpellitio ministret.

**68.1 De aspersione aque.** (P)eracta benedictione sacerdos ipse accedat ad principale altare. et ipsum circumquaque aspergat. In redeundo in primis aspergat ministros sic ordinatos. incipiendo ab acolito. Deinde ad gradum chori rediens: ibidem singulos clericos ad se accedentes aspergat. incipiens a maioribus. Episcopus tamen si presens fuerit: ad eum aspersione clericorum pertinet. Post aspersione clericorum laicos in presbiterio hincinde stantes: aspergat. Peracta aspersione: redeat sacerdos ad gradum chori. et ibi orationem cum versiculo dicat.

**69.1 De ordine processionis ead(em) Dominica.** (H)iiis peractis: eat processio hoc ordine. Precedat aqua. Deinde ceteri iuxta predictum ordinem sequantur. Deinde pueri. et illi de secunda forma iuxta ordinem quo disponuntur in choro. Reliqui de superiore gradu eo ordine quo disponuntur in capitulo habitu non mutato. Episcopus tamen si presens fuerit: mitram gerat. et baculum. et exeat processio per ostium presbiterii. septentrionale. et eat circa presbiterium. Sacerdos in eundo singula altaria aspergat. Deinde in australi latere ipsius ecclesie per fontes venientes procedant ante crucem. et ibi fatiant stationem. Sacerdote cum suis ministris predictis in medio suo ordine stante. ita quod puer deferens aquam. et acolitus stent ad <sup>54</sup> (*recte* stent ad) gradum ante crucem. Deinde precibus consuetis dictis: chorum intrent. et sacerdos ad gradum chori: dicat versiculum et orationem. Deinde eat cum suis ministris ad cimiterium canonicorum aspergendum orando pro defunctis.

**70.1 Adaptatio processionis huius dominice in ceteris dominicis cum earum exceptionibus.** (H)ic modus et ordo servicii processionis servatur generaliter omnibus dominicis diebus per annum simplicibus. In dominicis tamen a Septuagesima usque ad Quadragesimam dicitur versus post antiphonam. in ipsa statione ad gradum ante crucem a duobus clericis de secunda forma. ad populum conversis habitu non mutato. Similiter a dominica post octabas Pasche usque ad primam dominicam ante

<sup>53</sup> This correction appears to have been made by the original text scribe.

<sup>54</sup> An erroneous dittography.

Ascensionem dicitur versus a duobus de secunda forma in superpelliciis. In ipsa vero dominica ante Ascensionem dicitur versus a tribus de superiore gradu in superpelliciis in pulpito.

70.2 Preterea in Dominica Palmarum processioni sunt quedam spetialiter annexa. Scilicet quod aqua benedicitur extra chorum. sicut quolibet festo dupplici. quod contingit die dominica. et tertia cantata aspergatur. Deinde fit benedictio florum et frondium. et dum distribuuntur rami benedicti: preparetur feretrum cum reliquiis a quo: corpus domini in pixide dependeat. et ad locum stationis a duobus clericis de secunda forma. non tamen processionem sequendo: sed in loco prime stationis obviam veniendo habitu non mutato: deferatur. Lumine in lanterna precedente. et sic eat processio precentore incipiente antiphonam et excellentiore sacerdote exequente officium processionis. vexillis precedentibus. in primis circa claustrum. et ita exeant per totam (*recte* portam) cimiterii canonicorum usque ad locum prime stationis. que fit in extrema parte orientali cimiterii laicorum. ubi in primis legitur evangelium ab ipso diacono induto ad processionem. Deinde .iiij<sup>es</sup>. clerici habitu non mutato conversi ad populum ante reliquias versum cantent. Post singulos versus executor officii incipiat antiphonam conversus ad reliquias quam prosequatur chorus cum genuflexione. ab ipso quoque executore primo cum choro fiat genuflexio. Deinde eat processio ad locum secunde stationis. precentore incipiente antiphonam. Fiat autem secunda statio ante hostium ubi pueri cantant *Gloria laus*. Peracta hac statione eat processio ad locum .iiij<sup>e</sup>. stationis qui fieri solet ante aliud hostium ipsius ecclesie ex eodem latere. ubi tres sacerdotes in ipso hostio habitu non mutato. conversi ad populum dicant versum. Hiis peractis eat processio ad hostium occidentale. et ibi intret sub capsula reliquiarum ex transverso hostii elevata. et fiat statio ante crucem. et in ipsa statione executor officii incipiat antiphonam cruce iam discooperta. et respondeat chorus cum genuflexione. et sic incipiat sacerdos. ter. singulis v[o]i/cibus<sup>55</sup> vocem exaltando. una cum choro genuflexionem fatiendo. et post terciam inceptionem chorus eandem antiphonam in ipsa statione totam prosequatur. qua finita: intrent chorum. cruce etiam super principale altare discooperta. et sic permaneat tota die discooperta.

71.1 **Modus processionis in die natalis domini(.)** (I)n die Natalis dicta tertia: eat processio circa claustrum cum tribus acolitis tres cruces deferentibus. et duobus turibulis. Deinde predicto modo procedant. tribus de superiore gradu prosam in eundo cantantibus in medio procedentibus. que in ipsa statione ante crucem ab eisdem terminetur. Cetera omnia ut prenotatum est sunt exequenda.

72.1 **Adaptatio eiusdem in aliis festis duplicibus .ix. lectionum.** (M)odus processionis huius diei: locum habet in omnibus festis duplicibus .ix. lectionum per annum que ex sua solempnitate processionem habent. excepto quod in aliis prosa non dicitur. et excepta Purificatione beate Marie tunc enim dum tertia canitur executor officii solempni apparatu se induat. et omnes eius ministri. sicut ad ex(e)cutionem misse. Tercia dicta: idem sacerdos cum suis ministris ad altare processionaliter incedat. et cereos ante altare benedicat. et aqua benedicta aspergat. Deinde turificet. Hiis peractis: in stallo suo se recipiat. dum cerei distribuuntur. Cereis distributis: eat processio modo predicto. et in statione ante crucem: tres de superiore gradu dicant versum. in pulpito conversi ad populum: habitu non mutato. Cetera ut supra.

<sup>55</sup> This alteration was made by the original text scribe.

73.1 **Ordinatio processionis Diei pasche.** (D)ie Pasche eodem modo fit processio sicut die Natalis. excepto quod die Pasche dicitur versus in pulpito sicut die Purificationis. In octabis Pasche eodem modo fit processio sicut in ceteris dominicis diebus preter habitum. et excepto quod ha(c) die dicitur versus in pulpito sicut in die Pasche.

74.1 **Die ascensionis.** (I)n die Ascensionis ordinetur processio sicut in die Pasche. Excepto quod hac die vexilla processionem precedunt. prius Leo. deinde minora vexilla per ordinem. ultimo loco: Draco. Deinde inter subdiaconum et thuribulum duo de secunda forma capsulam reliquiarum in cappis sericis deferant. Ipse quoque diaconus eo die deferat reliquias pro dispositione sacristarum. Preterea hac die procedit processio per medium chori. et exit per ostium occidentale procedendo in septentrionali latere. circuendo (*i.e.* circueundo) extrinsecus totam ecclesiam et atrium. et per predictum ostium sicut die Dominica Palmarum intrant. Cetera ut in die Natalis.

75.1 **In Die pentecostes.** (I)n die Pentecostes ordinatur processio sicut in die Natalis Domini. Procedit autem usque in atrium sicut in Dominica Palmarum. et ita sine statione procedit. et intrat per ostium ecclesie occidentale. Cetera sicut in die Natalis.

76.1 **In capite ieiunii.** In Capite Jeiunii post cinerum susceptionem eat processio per medium chori ad ostium ecclesie australe. excellentioribus precedentibus precedente vexillo cilicino. Deinde episcopus vel executor officii penitentes singulatim per manus eitiat. ministerio archidiaconorum si episcopus presens fuerit. Quibus eiectis: redeat processio ordine solito processionum servato.

77.1 **De processionibus ferialibus per quadragesimam.** (P)reterea sciendum quod per totam Quadragesimam usque ad Cenam Domini .iiij<sup>ta</sup>. et .vj<sup>ta</sup>. feria ebdomade solet fieri processio ad altaria per ordinem. primo die ad altare sancti Martini. Deinde ad cetera per ordinem nisi festum .ix. lectionum impediatur. .iiij<sup>ta</sup>. itaque feria ebdomade prime Quadragesime cantata nona ante inchoationem misse eat processio sed sine cruce per ostium presbiterii ad altare sancti Martini. Sacerdos cum suis ministris in albis. Deinde cantato responsorio clerici ordine quo in choro ordinantur: se prosternant. ita quod sacerdos ad gradum altaris cum diacono a dextris. et subdiacono a sinistris: suam fatiat prostrationem. cum *Kyrieleison*. et psalmo *Miserere mei deus*. Finitis precibus: stando dicat orationem. qua finita: et cantata letania a duobus de secunda forma. usque ad *Sancta Maria. ora pro nobis* habitu non mutato. processio presbiterium circuendo (*i.e.* circueundo) per ostium chori occidentale chorum intret. predictis duobus ad gradum chori letaniam terminantibus: et sacerdos cum suis ministris abscedat nulla oratione dicta. Eodem modo et ordine fit processio qualibet .vj<sup>a</sup>. feria per Quadragesimam.

78.1 **De processione in cena domini.** (I)n Cena Domini nona cantata eat processio ad ostium ecclesie sicut in Capite Jeiunii. sintque presentes in atrio ecclesie penitentes. Deinde si episcopus adest: principalis archidiaconus ex parte penitentium extra ostium lectionem legat in cappa serica: que non legatur episcopo absente. Finita lectione incipiat antiphonam bis continue. deinde diaconus ex parte penitentium dicat *Flectamus genua* in albis. et diaconus ex parte episcopi dicat *Levate* in simili habitu. et ita fiat tribus vitibus. Deinde penitentes singulatim per manus ecclesie restituant ministerio archidiaconorum. Quibus peractis: processio more solito in chorum redeat.

79.1 **Processio in vigilia pasche ad ignem benedicendum.** (I)n vigilia Pasche congregatis clericis in choro executor officii in cappa serica(.) diaconus dalmatica. subdiaconus tunica induatur cum ministris suis sine lumine in cereis. et igne in turibulo. Quodam de prima forma in superpellitio cereum illuminandum in hasta quadam deferente. et processionem precedente. post aque latorem per medium chori. et ad fontes novum ignem benedicendum processionaliter eat. choro sequente precedentibus excellentioribus. et ad columpnam ex parte australi ignem benedicat. Quo peracto: solito more redeat processio in chorum. duobus de secunda forma cantantibus in superpelliciis versus quosdam.

80.1 **Eadem die processio ad fontes.** (F)inita septiformi letania que a .vij<sup>tem</sup>. pueris in superpelliciis dicatur in medio chori. et quinque partita letania. a .v<sup>que</sup>. diaconis de secunda forma similiter in medio chori inchoata in superpelliciis ad prolationem *Sancta Maria ora pro nobis*. eat processio ad fontes. duobus diaconis de secunda forma in albis. oleum. et crisma deferentibus. inter subdiaconum. et turibulum pariter incedentibus. Cereus quoque benedicendis fontibus necessarius processionem preceda(t) accensus. qui a quodam de prima forma in superpellitio deferatur. et exeat processio per ostium presbiterii australe. et in australi latere ecclesie procedendo ad fontes veniat.

80.2 Finita letania: executor officii conversus ad orientem fontibus benedicendis assistat. Ministris fontes ordinate circumstantibus scilicet. a dextris iuxta sacerdotem stet diaconus. Subdiaconus a sinistris. Qui fert crisma: stet iuxta diaconum. Qui autem oleum: iuxta subdiaconum. Qui vero crucem defert: sacerdoti sit oppositus ad eum conversus iuxta quem eodem modo stent duo ceropherarii. Consecratis fontibus non infunditur oleum nec crisma. nisi sit aliquis baptizandus. Completo fontium ministerio tres clerici de superiore gradu in cappis sericis canant *Rex sanctorum*. Finito primo versu: chorus eundem repetat. et sic progredientes chorum intrent.

81.1 **Processio ante matutinas Die pasche.** (I)n die Pasche ante matutinas duo excellentiores presbiteri in superpellitiis prius incensato sepulcro cum magna veneratione corpus dominicum super altare deponant. Deinde crucem de sepulcro tollant. excellentiore presbitero inchoante antiphonam. et sic eam per ostium australe presbiterii incedentes. et per medium chori regredientes cum thuribulo et ceropherariis precedentibus ad altare sancti Martini canentes deferant. Deinde dicto versiculo et oratione ab excellentiore sacerdote ibi: inchoentur matutine. post debitam campanarum pulsationem.

82.1 **Processio que eadem die ad vespas fit ad fontes.** (E)adem die ad vespas post primum *Benedicamus*: eat processio ad fontes eodem modo et ordine in superpelliciis quo in vigilia Pasche quando itur ad fontes benedicendos excepto quod hic nullus precedit cereus processionem. Deinde tres pueri in ipsa statione ante fontes habitu non mutato: cantent *Alleluya*. Post repetitionem ipsius *Alleluya* incensatis fontibus dicat ibi sacerdos versiculum et orationem. Postea ante crucem: aliam fatiant stationem. ubi dicta oratione (solito) more in chorum redeant.

83.1 **De processionibus per ebdomadam pasche fatiendis ad matutinas. et ad vespas.** (F)eria .ij<sup>a</sup>. ebdomade Pasche ad matutinas post primum *Benedicamus* eat processio cum acolito deferente crucem in superpellitio. et cum ceropherariis. et turibulo solito more per medium chori ante crucem. et ibi facta statione: dicatur versus ante crucem a

duobus de superiore gradu in superpelliciis ad clerum conversis. Deinde dicta oratione cum versiculo more solito in chorum redeant.

83.2 Hoc eodem modo fit processio ante crucem ad matutinas singulis diebus per ebdomadam nisi quod duobus diebus sequentibus dicitur versus in statione ante crucem a duobus de secunda forma. Reliquis vero sequentibus feriis nullus versus dicitur(.) eadem feria. Ad vespervas (*recte* Eadem feria ad vespervas) eodem modo et ordine eat processio quo in die Pasche. ad vespervas. excepto quod hac die pueri non cantant in statione ad fontes. Simili quoque modo observetur processio ad vespervas singulis diebus per ebdomadam usque ad sabbatum.

84.1 **Processio que fit in sabbato quod dicitur in albis ante crucem.** (I)n sabbato vero ad vespervas eat processio post primum *Benedicamus* cum ceropherariis et thuribulo tantum per medium chori. non iam ad fontes cum oleo et crismate: sicut in precedentibus diebus: sed ante crucem tantum. et ibi \in<sup>56</sup> statione ipsa dicatur versus a duobus de superiore gradu in superpelliciis ad clerum conversis. Deinde dicta oratione cum versu: in chorum redeat processio solito more.

84.2 Sciendum autem quod in hoc sabbato usque ad Ascensionem Domini singulis sabbatis ad vespervas predicto modo fit processio. Excepto quod in mediis sabbatis dicitur versus in statione a duobus de secunda forma. ultimo vero sabbato dicitur idem versus in superiore gradu. Eodem etiam modo fit processio ad vespervas in vigilia Inventionis sancte Crucis. excepto quod ibi nullus versus dicitur in statione.

85.1 **Processio que fit in letania maiore.** (I)n letania maiore dicta missa: ad principale altare: et cantata sexta. ordinata processione ad gradum chori per medium chori et ecclesie exeat processio per ostium ecclesie australe eodem modo et habitu sicut in diebus dominicis. excepto quod hic vexilla processionem precedunt. et capsule reliquiarum pro dispositione sacristarum in hac processione deferuntur a duobus de secunda forma habitu non mutato. et sic eat processio ad aliquam ecclesiam in urbe vel suburbio. et ibi missa cantata processionaliter redeant ad ecclesiam per idem ostium quo egressi sunt. et ita in chorum solito more redeant. et ita finita letania dicatur oratio cum versiculo ad gradum chori habitu non mutato.

86.1 **Processiones que fiunt in rogationibus et in vigilia ascensionis.** (F)eria .ij<sup>a</sup>. in Rogationibus hoc eodem modo ordinatur et procedit processio. excepto quod precedit draco. et deinde leo. Preterea hac die eat processio per ostium supradictum. et procedit per portam civitatis occidentalem. et ita circueundo (*i.e.* circueundo) civitatem ex latere septentrionali in aliqua ecclesia se recipit. et ibi celebrata missa: per totam (*recte* portam) civitatis orientalem ad ecclesiam redit. Et cetera ut prius.

86.2 **\De feria .iij. in rogationibus/<sup>57</sup>** (F)eria .iij<sup>a</sup>. in Rogationibus eat processio per totam (*recte* portam) civitatis orientalem usque ad ecclesiam eo die adeundam. et ibi celebrata missa: civitatem ex latere australi circueundo (*i.e.* circueundo) per totam (*recte* portam) civitatis occidentalem: ad ecclesiam redeat. Cetera ut prius.

87.1 **In vigilia ascensionis.** (I)n vigilia Ascensionis simili modo ordinatur processio: ut in predictis feriis. eat processio ad locum destinatum. et redeat.

<sup>56</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>57</sup> The text scribe left sufficient space for a rubric, which was later supplied in pencil by a modern hand (s. xix/xx).

88.1 **In vigilia pentecostes.** (I)n vigilia Pentecostes eodem modo et ordine fit processio ad fontes: sicut in vigilia Pasche. per omnia.

89.1 **In sabbatis in estate ad vespervas ante crucem.** (I)n sabbato quando cantatur *Deus omnium*. ad vespervas post omnes memorias preter memoriam beate Marie: fit processio ad crucem eo modo quo in sabbato octavarum Pasche. excepto quod hic nullus versus (dicitur) in statione. et eodem modo singulis sabbatis usque ad Adventum Domini. nisi duplex festum impediatur.

90.1 **Processiones que fiunt venerationis causa.** (F)iunt preterea quedam processiones venerationis causa ad suscipiendum regem. archiepiscopum. et proprium episcopum. vel legatum. que eodem modo et habitu ordinantur. quo in duplicibus festis. Procedunt autem per medium chori et ecclesie. et per ostium ecclesie australe exeunt usque ad locum destinatum incedentes. ibique personam suscipiendam in processione duo excellentiores persone in redeundo suscipiant. et eadem via qua accesserant: usque ad gradum altaris adducant. qua ibi ad orandum prostrata: excellentior sacerdos orationem super eum dicat.

¶ Preces super legatum vel episcopum suscipiendum. *Pater noster. Et ne nos. Ostende nobis domine misericordiam. [Domine]<sup>58</sup> salvum fac servum tuum. Mitte ei domine auxilium de sancto. Esto ei domine turris fortitudinis. Nichil proficiat inimicus in eo. Domine deus virtutum converte nos. Domine exaudi orationem meam. Oremus.*

*Rege quesumus domine famulum tuum. legatum. vel episcopum. nostrum. [et intercedente beata dei genitrice Maria cum omnibus sanctis tuis]<sup>59</sup> gracie tue in eo dona multiplica. ut ab omnibus liber offensis: et temporalibus non destituatur auxiliis. et sempiternis gaudeat institutis. per. vel.*

*Omnipotens sempiterne deus miserere famulo tuo .N. et dirige eum secundum tuam clemenciam in viam salutis eterne. ut te donante tibi placita cupiat. et tota virtute perficiat. per. \Christum Dominum nostrum/<sup>60/61</sup>*

91.1 **Processio ad hominem mortuum suscipiendum.** (S)i vero cum processione homo mortuus sit suscipiendus: eodem modo et ordine ordinetur processio et incedat. in alio tamen habitu. Sacerdos in hac processione et minister in albis incedunt. chorus autem in cappis nigris. et cum ad locum destinatum pervenerit processio: cadaver ipsum sacerdos aqua benedicta aspergat. deinde thurificet. Postea vero in ecclesiam redeant. et si canonicus fuerit cuius corpus defertur: in chorum deferatur. Sin autem: extra chorum in ecclesia dicta oratione relinquatur.

92.1 **De modo exequendi officium Dominica prima in Adventu Ad missam. et de officiis singulorum ministrorum.** (D)ominica prima in Adventu peracta processione dum tertia cantatur executor officii et sui ministri ad missam dicendam se induant. et si episcopus fuerit: tres habeat diaconos. et totidem subdiaconos ad minus sicut in omni festo .ix. lectionum quando ipse exequitur officium. In die vero Pentecostes. et

<sup>58</sup> This deletion was made by the original scribe of this passage.

<sup>59</sup> This deletion was made by a later hand, s. xvi.

<sup>60</sup> This addition may have been made by the same hand that made the previous deletion, s. xvi.

<sup>61</sup> This long text was inserted in the lower margin in a more cursive hand, s. xiii/xiv.

in die Cene. .vij<sup>tem</sup>. diaconos. et .vij<sup>tem</sup>. subdiaconos. et .iij<sup>es</sup>. acolitos. In aliis vero duplicibus .v<sup>que</sup>. tantum. Die vero Parasceve unum solum diaconum. et unum solum subdiaconum.

92.2 (C)antata<sup>62</sup> vero tertia. et officio misse inchoato. dum post officium *Gloria Patri* inchoatur: executor officii cum suis ministris ordinate presbiterium intrent. et ad altare accedant. diacono. et subdiacono casulis indutis. manus tamen ad modum sacerdotis extra casulam non tenentibus. Ceteris ministris in albis existentibus.

92.3 quibus vero temporibus diaconi et subdiaconi casulis. dalmaticis et tunicis et albis uti debeant: in ordinali plene describitur.

92.4 Ad gradum autem altaris Sacerdos ipse confessionem dicat. diacono ei assistente a dextris: subdiacono a sinistris.

92.5 et sciendum quod quisquis sacerdos officium exequatur: semper episcopus si presens fuerit ad gradum altaris *Confiteor* dicat. Dicta vero absolutione: sacerdos diaconum deosculetur. Deinde subdiaconum. quod semper observatur. nisi missa pro fidelibus fuerit dicenda. et exceptis tribus ultimis diebus in Passione Domini.

92.6 His peractis: ceropherarii. candelabra cum cereis ad gradum altaris demittant. Post humiliationem vero sacerdotis ad altare factam: ipsum altare sacerdos thurificet diacon(i) ministerio. Deinde ab ipso diacono ipse sacerdos thurificetur. et postea textum ministerio subdiaconi deosculetur.

92.7 His peractis: in dextro cornu altaris cum diacono et subdiacono officium misse usque ad orationem prosequatur. sive usque ad *Gloria in excelsis*. quando *Gloria in excelsis* dicitur. Quo facto: sacerdos cum suis ministris in sedibus ad hoc paratis se recipiant et expectent usque ad orationem dicendam. vel in alio tempore usque ad *Gloria in excelsis* incipiendum.

92.8 Dum vero sacerdos ad officium exequendum stat ad altare: diaconus post eum st[a]e/t<sup>63</sup> in primo gradu ante altare. Deinde subdiaconus ordinate. ita quod quotiens sacerdos ad populum se convertit: diaconus similiter se convertat. Subdiacono interim ipsi sacerdoti de casula aptanda subministra(n)te.

92.9 Sciendum autem quod quicquid a sacerdote dicitur ante epistolam in dextro cornu altaris expletur. Similiter post percept(i)onem sacramenti. Cetera omnia in medio altaris fiunt.

92.10 Post introitum vero misse unus ceropherariorum. panem. et vinum. et aquam in pixide. et phiolis. solempniter ad locum ubi. panis. vinum. et aqua ad eucharistie ministracionem disponuntur: deferat. Reliquus vero ceropherarius pelves cum aqua et manutergio.

92.11 Incepta vero ultima oratione ante epistolam: casula interim deposita subdiaconus per medium chori ad legendam epistolam ad pulpitem accedat.

92.12 et dum epistola legitur: duo pueri in superpelliciis. facta inclinatione ad altare ad gradum chori: in pulpito ipso se ad cantandum gradale preparent.

92.13 Interim etiam veniant duo ceropherarii obviam acolito ad ostium presbiterii cum veneratione ipsum calicem ad locum predictae administrationis deferenti offertorio et corporalibus ipsi calici superpositis. Est autem acolitus in albis et mantello serico ad hoc parato. Calice itaque in loco debito reposito: corporalia ipse acolitus super altare solempniter deponat. ipsum altare in recessu deosculando. Quo facto: ceropherarii candelabra cum cereis ad gradum altaris demittant.

<sup>62</sup> The text scribe left space here for a large decorated initial, and perhaps for a rubric.

<sup>63</sup> This alteration was made by the original text scribe.



- 92.14 Lecta epistola subdiaconus panem. et vinum post manuum ablutionem ad eucharistie ministrationem in loco ipsius administrationis preparat ministerio acoliti.
- 92.15 Dum gradale canitur: duo de superiore gradu ad cantandum *Alleluya* cappis sericis se induant. et ad pulpitem accedant.
- 92.16 Dicto vero gradali pueri cantores ad gradum altaris inclinaturi redeant.
- 92.17 Post quoque epistolam unus ceropherariorum cum aliquo puero de choro aquilam in pulpito ad legendum evangelium ornando preparat.
- 92.18 Dum *Alleluya* canitur: diaconus prius ablutis manibus casula humerum [f]<sup>64</sup> sinistrum modo stole succinctus corporalia super altari disponat.
- 92.19 Dum prosa canitur: Diaconus ipse altare thurificet. deinde ad commonitionem puerorum ministrantium a choro ad ministeria sua redientium. accepto texto evangeliorum. et data ei humiliatio (*recte* humiliato) a sacerdote benedictione cum ceroferariis. et thuribulo. precedente subdiacono. librum lectionis evangelice deferente per medium chori ad pulpitem accedat. textum ipsum super sinistram manum solempniter gestando.
- 92.20 et cum ad locum legendi pervenerit: textum ipsum subdiaconus accipiat. et a sinistris ipsius diaconi ipsum dum evangelium legitur teneat.
- 92.21 Et lecto evangelio: ipsum deosculandum ipsi diacono porrigat a dextra parte ipsius. In redeundo tamen textum ipsum ad altare ex directo pectori deferat.
- 92.22 Post inceptionem *Credo in unum*: Sacerdos ipse ministerio diaconi thurificetur. et postea ministerio subdiaconi textum deosculatur. Quo peracto: chorus ministerio pueri more solito incensetur. sequente subdiacono textum deosculandum. singulis eo ordine quo incensantur porrigente.
- 92.23 His peractis acolito ministrante subdiacono. Subdiacono ipsi diacono. Sacerdos prius hostiam super patenam. deinde calicem a manu diaconi accipiat. diacono manum ipsius sacerdotis utraque vice deosculante.
- 92.24 postea ordinato sacrificio et debito modo deposito: sacerdos sacrificium ministerio diaconi ter in signum crucis thurificet. deinde ter in circuitu. postea ex utraque parte sacrificii.
- 92.25 Quo peracto sacerdos manus abluat ministerio subdiaconi et aliorum ministrorum. diacono interim ipsum altare in sinistro cornu incensante. et reliquias more solito in circuitu. Accedente autem sacerdote ad divinum obsequium exequendum: diaconus. et subdiaconus suis gradibus ordinate se teneant.
- 92.26. Et si episcopus celebraverit: omnes diaconi in eodem gradu diaconorum consistant. principali diacono medium locum inter eos optinente. Simili modo subdiaconi in gradu subdiaconorum se habeant. Ceteris omnibus diaconis. et subdiaconis gestum princip\al\is<sup>65</sup> diaconi. et principalis subdiaconi imitantibus. Excepto quod principalis subdiaconus sacerdoti ad populum convertenti. solus ministrat.
- 92.27 Sacerdote vero *Per omnia secula* incipiente: Subdiaconus offertorium et patenam a manu diaconi accipiat. et ipsam tenendam quousque oratio dominica dicatur: acolito offertorio coopertam committat in gradu post subdiaconum interim constituto.
- 92.28 Sciendum autem quod pueri ministrantes dum secretum misse tractatur in choro moram fatiunt exteriorum locum prime forme tenentes. quousque sacerdos cancellatis manibus ad altare se inclinet. Tunc enim ad altare accedunt ad ministrandum diacono in manuum ablutione cum subdiacono.

<sup>64</sup> This deletion was made by the original text scribe.

<sup>65</sup> This insertion was made by the original text scribe.

92.29 Sacerdote vero corpore domini calicem in modum crucis signante: diaconus ei a dextris assistat. eique in corporalibus sustinendis subministret.

92.30 Inchoata vero oratione dominica: diaconus patenam a manu subdiaconi recipiat. et post dictam orationem dominicam: eam sacerdoti porrigat.

92.31 Post tertium *Per omnia* si episcopus celebraverit: diaconus ad populum conversus. baculum episcopi in dextra tenens. curvatura (*i.e.* curvatura) baculi ad se conversa: dicat *Humiliate vos ad benedictionem*. Deinde episcopus eucharistia interim super patenam reposita: super populum fatiat benedictionem.

92.32 Ad *Agnus dei* dicendum accendat diaconus. et subdiaconus ad sacerdotem uterque a dextris. diaconus propior. subdiaconus remotior.

92.33 Pacem vero diaconus a sacerdote accipiat. deinde primo subdiaconum. deinde ad gradum chori rectorem ex parte decani. dehinc alium ex parte cantoris osculetur. qui duo pacem choro reportent. incipientes a decano et cantore. vel ab his qui stallis eorum stant proximiores.

92.34 Post perceptionem sacramenti. sacerdote ad manus abluendas veniente: diaconus corporalia complicit. et in loculo reponat. Postea vero ipsa corporalia calici cum offertorio superponat. ipsumque calicem dum postcommunio dicitur: ipsi acolito committat. qui dum *Per omnia* dicitur post orationem: ea solempnitate qua eum apportavit. reportet.

92.35 Post *Benedicamus* dictum a diacono iterum casula induto ad populum converso. et post inclinationem a se factam sacerdos cum suis ministris modo quo accessit: abscedat.

93.1 **Adaptatio servicii dominice prime in adventu in aliis dominicis cum suis exceptionibus(.)** (M)odus servicii huius dominice: locum habet omni die dominica simplici per annum. excepto quod in Adventu. et a Septuagesima usque ad Pascha utuntur diaconus et subdiaconus casulis. in aliis vero temporibus dalmaticis. et tunicis. Preterea in predictis temporibus inchoatur missa sine *Gloria in excelsis*. et terminatur sine *Ite missa est*. In aliis vero cum *Gloria in excelsis* inchoatur. et cum *Ite missa est* terminatur.

93.2 Preterea nulla die dominica per annum dicitur prosa ad missam nisi in Adventu Domini quando de dominica agitur. et die dominica qua cantatur *Dum medium silentium*. ratione venerationis temporis Natalis Domini. Preterea qualibet die dominica per annum dicitur *Alleluia* ad missam. nisi in Septuagesima usque ad Pascha. Tunc enim tractus cantatur sine *Alleluia*. et sine prosa. a quatuor de superiore gradu in cappis sericis ad gradum chori. ita quod omnes simul primum versum incipiant. quem duo ex parte chori principalis prosequantur. aliis duobus interim in extrema parte prime forme sedentibus. et ita alternis vicibus singuli versus ab illis quatuor tocius tractus dicantur. choro interim sedente. ita quidem ut omnes simul tractum ipsum terminent. In prima tamen dominica Quadragesime. et in Dominica Palmarum tractus in choro alternis vicibus cantatur. hincinde modo predicto.

94.1 **De modo exequendi officium misse feria .ij<sup>a</sup>. in adventu.** (S)ecunda feria in Adventu idem modus servicii servatur qui in precedenti dominica. quibusdam exceptis. scilicet quod in hac feria intrat sacerdos cum suis ministris ad officium exequendum. in initio ipsius officii misse. Preterea epistola ad gradum chori legitur.

94.2 Gradale ab uno solo puero in superpellicio ad gradum chori cantatur. *Alleluia*: ab alio puero tali loco et habitu.

94.3 Evangelium non in pulpito in aquila: sed in presbiterio super pulpito ad (hoc) peracto (*recte parato*). versus aquilonem converso diacono. quod unus

ceropherariorum post lectam epistolam in loco debito disponat. et ornet. Dum legitur evangelium: subdiaconus textum teneat in fatiem ipsius legentis. Ceroferariis diacono assistentibus. uno a dextris: reliquo a sinistris. Preterea post lectum evangelium: sacerdos textum ministerio diaconi deosculetur. sed tunc non thurificetur. nec chorus incensetur. Numquam enim chorus post evangelium incensatur: nisi quod quando *Credo in unum* dicitur. sed tunc semper. Preterea pax a diacono choro apportatur. per duos extremos de secunda forma. Cetera ut prius.

94.4 Preterea hac feria ante terciam dicitur missa in capitulo pro fidelibus cum diacono. et subdiacono albis tantum indutis. quod semper observatur in omni missa pro defunctis. nisi quando pro episcopis ipsius ecclesie defunctis celebratur: et in crastino Omnium Sanctorum. tunc enim dalmaticis et tunicis utuntur.

95.1 **Adaptatio officii misse huius ferie in aliis feriis per annum.** (S)imilis quoque modus servicii servatur omnibus feriis per annum. excepto quod. a Septuagesima usque ad Pascha non dicitur *Alleluya* ad missam. sed per totam Quadragesimam .ij. et .iiij. et .vj<sup>ta</sup>. feria semper usque ad Pascha dicitur tractus in choro modo predeterminedato. Preterea omni feria per annum nisi in Adventu. et Septuagesima: utuntur diaconus et subdiaconus dalmaticis et tunicis. nisi in vigiliis. et .iiij<sup>or</sup>. temporibus. tunc enim sunt in albis.

95.2 Preterea in vigilia Natalis Domini acolitus dum oratio ante epistolam dicitur ad gradum chori veniat. et ibi lectionem ante epistolam legat. Qua lecta: epistola ibidem sine intervallo legatur.

95.3 Preterea in omni .iiij<sup>or</sup>. temporum .iiij<sup>ta</sup>. feria acolitus simili quoque modo lectionem legat ante epistolam. sed sine *Dominus vobiscum* precedat oratio. et cum cantus intervallo epistola sequatur. Simili modo in sabbatis .iiij<sup>or</sup>. temporum primam lectionem legat acolitus. deinde sequentes in secunda forma. discurrant. pro dispositione magistri<sup>66</sup> scholarum. et in superpelliciis. ita ut ultima a sacerdote legatur(.) Cantus vero per singulas lectiones singuli pueri pro dispositione cantoris in superpelliciis cantent.

95.4 Post ultimam tamen lectionem cantent duo de secunda forma in superpelliciis ad gradum chori sicut pueri. Tractum vero post epistolam duo de secunda forma in cappis nigris ad gradum similiter cantent. Preterea per totam Quadragesimam post nonam cantatur missa. Preterea nulla feria in Paschali tempore dicitur missa capitalis pro defunctis nisi fiat aniversarium vel trigintale.

96.1 **De modo exeque<n>di officium prime misse in die Natalis domini.** (I)n die Natalis Domini post *Te deum laudamus*. excellentior<sup>67</sup> sacerdos primam missam cantet. cuius ministerium expletur sicut in dominica. excepto quod diaconus. et subdiaconus. et acolitus utuntur dalmaticis et tunicis. Preterea cum *Gloria in excelsis*: missa dicitur. Lectio ante epistolam in pulpito ab aliquibus duobus pro dispositione (cantoris) in cappis sericis cantetur. et sine intervallo epistola legatur. Gradale in pulpito in cappis sericis a tribus de secunda forma cantetur. *Alleluya*: a tribus excellent(ior)ibus in cappis sericis ibidem dicatur. Preterea si episcopus exequatur officium: omnes ministri in chorum ad prosam cantandam veniant preter principalem diaconum. et principalem subdiaconum. et ibi moram fatiant diaconi et subdiaconi in medio chori cum rectoribus chori donec principalis diaconus a pulpito post lectum evangelium per chorum redeat. Preterea in processione ad evangelium legendum crux procedit. que a

<sup>66</sup> A later hand (s. xv?) made a marginal note: \nota/; some mediaeval writing above this is now illegible.

<sup>67</sup> A mediaeval marginal note is now illegible.

dextris erit legentis evangelium. fatie crucifixi ad legentem conversa. Lecto evangelio principalem diaconum comitentur. Ceteri (*recte* comitentur ceteri) diaconi. et subdiaconi a choro usque ad altare processionaliter. ita quod bini precedant subdiaconi. deinde principalis subdiaconus in ultimo ordine subdiaconorum. uno subdiacono incedente ei a dextris. altero: a sinistris. Postea sequantur diaconi ordine simili dispositi. et hoc ipso modo et ordine ad introitum misse dominum episcopum precedant. Preterea ad incensandum chorum post *Credo in*<sup>68</sup> *unum* duo veniunt thuribula. Duo subdiaconi cum duobus textis. Si autem episcopus non celebraverit: unum textorum defert acolitus ex parte cantoris. Primo autem est incensandus cantor. Deinde principales rectores chori ex utraque parte sui. Deinde duo rectores secundarii. postea chorus solito more. eodem ordine sequatur textum. In pace danda primo deosculetur diaconus principalem subdiaconum a quo: ceteri diaconi et subdiaconi pacem sumant. Deinde duos secundarios rectores. qui primo pacem deferant cantori. et eius duobus collateralibus. rectoribus principalibus. Postea ipsis principalibus rectoribus pacem ipsam ex parte decani. et cantoris deferentibus. secundariis vero ex parte cancellarii. et thesaurarii.

97.1 **Modus exequendi officium secunde misse eadem die.** (S)ecundam missam celebrabit sacerdos quem episcopus ad hoc: elegerit. eodem modo ut in dominica prima in Adventu. excepto quod quidam de secunda forma leget lectionem ante epistolam in superpellicio. quam continuo sequatur epistola. Preterea diaconus ab episcopo benedictionem accipiet ad pronuntiandum evangelium. et post lectum evangelium per episcopum transeundo prius eum incensabit. et postea subdiaconus textum ei apertum deosculandum porriget. pacem quoque statim post deosculatum subdiaconum ipsi episcopo diaconus porriget. Cetera ut prius.

98.1 **De officio tercię misse eadem die.** (T)erciam missam celebrabit episcopus. vel excellentior alius sacerdos eo absente. simili modo ut primam preter processionem. in qua omnes diaconi. et subdiaconi ad missam ministraturi processionaliter incedent.

99.1 **Adaptatio servicii huius diei in aliis festis omnibus cum regimine chori.**<sup>69</sup> (S)imilis modus servicii observatur in omnibus festis duplicibus non continuis. et in continuis etiam. excepto quod ibi non semper excellentior sacerdos exequitur officium. sed secundum gradus dignitatum personarum fiet descensus. ut in Natali. et in Pascha. et Pentecoste.

Similis<sup>70</sup> quoque modus servatur in omni festo. et in omnibus octabis. et feriis infra octabas. cum regimine chori. excepto quod in predictis feriis cantatur *Alleluya* in pulpito a rectoribus chori habitu non mutato. Preterea si aliquod festum .ix. lectionum Quadragesima fiat aliqua feria: ante terciam missa de festo dicatur in dalmaticis. et tunicis. post nonam vero: missa de ieiunio. utraque ad principale altare.

100.1 **De modo exequendi offitium misse in festis trium lectionum.** (S)imilis modus servatur in festis .iiij<sup>um</sup>. lectionum qui in feriis. exceptis prostrationibus. et exceptis festis in quibus Invitatorium a duobus cantatur. in talibus enim festis gradale a duobus

<sup>68</sup> At the foot of the page, which is the last of its quire, a modern hand (s. xviii/xix) notes: \cetera quere in pag. 49/; above, two modern hands, s. xix/xx, note in pencil: \See page 49/ and: \((This note refers to a time when the quires were misplaced)/.

<sup>69</sup> A marginal note in a later hand (s. xv?) reads: \nota bene/.

<sup>70</sup> This word begins with an unusually large black capital.

pueris in superpellitiis ad gradum chori cantatur. *Alleluya* vero a duobus de secunda forma eodem loco et habitu. qui modus servicii servatur in omnibus commemorationibus beate Virginis per annum. In festo tamen .iiij<sup>um</sup>. lectionum quo *Alleluya*(.) *Laudate pueri* dicitur: cantatur idem *Alleluya* a duobus pueris in superpellitiis ad gradum.

101.1 **Quando cooperiende sunt imagines in ecclesiis.** (S)ecunda feria prime ebdomade Quadragesime ad matutinas omnes cruces et imagines et reliquie. et vas etiam continens eucharistiam sint cooperta usque ad matutinas in die Pasche.

101.2 A sabbato etiam precedente usque ad .iiij<sup>tam</sup>. feriam ante Pascha velum quoddam dependeat in presbiterio inter chorum et altare. quod per totam Quadragesimam in feriis quando de feriis agitur debet esse demissum: nisi dum evangelium legitur. tunc enim interim extollitur et elevatum dependet. quousque a sacerdote dicatur *Orate fratres*.

101.3 Et si in crastino sequatur festum .ix. lectionum de cetero eo die non demittetur. nec etiam ante proximas matutinas feriales. si tamen in ipso festo fiat missa de ieiunio: demittetur v\el\um<sup>71</sup> usque ad inceptionem evangelii et non ulterius.

101.4 .iiij<sup>ta</sup>. autem feria ante Pascha dum passio domini legitur ad prolationem ipsius clausule *Velum templi scissum est*: predictum velum in area presbiterii decidat. Hac etiam die ad vespervas. et usque ad missam in crastino: campane pulsantur sicut in dominicis diebus. chorus vero non regitur. Luminaria ut in Dominica Palmarum accendantur. antiphone super psalmos in secunda forma discursant. Responsorium quoque in secunda forma ab uno solo cantetur. Nulle preces ad vespervas. nulla memoria. Post vespervas collecta habitu non mutato ad gradum dicatur. nec vespere de sancta Maria in conventu dicantur. nec abhinc usque in crastinum post octabas Pasche. Completorium solito more absque prostratione. et sine psalmo penitentiali solempniter dicatur cum versibus antiphone post *Nunc dimittis*: in secunda forma cantandis.

102.1 **De accensione candelarum in cena domini Ad matutinas.** (I)n Cena Domini ante matutinas .xxiiij<sup>or</sup>. candeles accendantur. quarum singule ad inceptionem uniuscuiusque antiphone. et responsorii. extinguantur. Similiter fiat in .vj<sup>a</sup>. feria. et in sabbato. Antiphone super psalmos in superiore gradu discurrant. per ordinem facta inceptione ab aliquo de excellentioribus ex parte chori. et hic ordo proseguendus est: per duas sequentes dies. *Gloria patri* omnino intermittatur. prima antiphona in laudibus a primo de secunda forma ex parte chori incipiatur. Secunda: a suo pare ex opposito. Deinde cetera per ordinem in eadem forma discurrant. qui ordo per sequentes noctes continuatur. Nullum capitulum ad has matutinas dicatur. nec ymnus. Dum ultimus psalmus in laudibus psallitur: lumen ubi videri nequeat abscondatur. Finita .v<sup>ta</sup>. antiphona in laudibus: omnia luminaria per ecclesiam extinguantur. Antiphona super *Benedictus* ab excellentiore incipiatur.

103.1 **De modo conficiendi crisma eodem die.**<sup>72</sup> (E)adem die ad introitum misse procedat episcopus cum processione festiva ordinata ad altare ut in aliis duplicibus festis. Assistant etiam ei due de excellentioribus personis in cappis sericis. ad deducendum eum ad altare. qui intersint confessioni. unus a dextris. reliquis a sinistris.

<sup>71</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>72</sup> A marginal note in a mediaeval hand (s. xiv/xv?) reads: ¶ nota de modo crisme in die cene/; this is emphasised by a pointing hand drawn in the same ink.

locis non<sup>73</sup> debitis reservatis principali diacono. et subdiacono. qui facta absolutione abcedant. Deinde peragatur servitium solito more usque *Te igitur*. Episcopo itaque dicente *Te igitur*: ordinentur ministri in ecclesia tres. amictibus et albis tantum induti tria deferentes vexilla. et alii tres ministri diaconi simili habitu tribus sindonibus humeros precincti ad deferendum tres ampullas oleo plenas mundissimo. unam de oleo infirmorum. aliam de oleo sancto. terciam ad consecrandum crisma. unamquemque (*recte* unaqueque) autem ampullarum discretionis titulum super se habeat scriptum. prima oleum infirmorum. (secunda) oleum sanctum. (tercia) Crisma. Unus etiam in albis ad deferendum tabernaculum sericum. Tres quoque archidiaconi in cappis sericis. scilicet archidiaconus Berkesirie. et duo vice unius (*sic*) Wiltesirie. tercius archidiaconus Dorsete. singulis suas ampullas implentibus oleo. a se ad hoc comparata (*recte* comparato). percantatoque *Te igitur* usque *Sed venie quesumus largitor admitte*. antequam dicatur. *Per quem hec omnia domine semper bona creas* archidiaconus Berkesirie accedat per medium chori ad altare. quem precedat minister deferens oleum infirmorum precedente etiam alio ministro cum vexillo. Deinde episcopus ter crucis signum super ampullam ipsam fatiat. ac ter sufflet in ea. ministro oleum deferente: ei subministrante. Deinde perficiat episcopus exorcismum audientibus tantum ministris qui secus altare stant. sine *Dominus vobiscum*. et sine *Oremus*. sicut fit in omni exorcismo. Deinde sequatur oratio sine *Dommus vobiscum*. et sine *Oremus*. His peractis: archidiaconus cum suis ministris eo modo quo accessit: abscedat. Deinde peragatur missa usque quo perveniatur ad benedictionem super populum. Tunc accedat archidiaconus Wiltesirie eo modo et ordine quo alius archidiaconus accessit. cum ampulla continente oleum sanctum. super quam ter crucis signum fatiat episcopus. et ter sufflet in ea. et sic olei exorcismum ad baptizandum modo predicto perficiat. Postea orationem dicat episcopus super oleum cum *Dominus vobiscum*. et cum *Oremus*. Post hec revertente pontifice ad sedem suam preparantur ministri per .vj. ordines ad deportandum crisma. In primo ordine precedant vexilla. in secundo: duo ceroferrarii albis induti. in tercio: duo thuribula in simili habitu. In quarto: duo subdiaconi a latere episcopi venientes habitu non mutato deferant duos codices evangelii. In .v<sup>to</sup>. diaconus ampullam cum oleo deferat ad crisma consecrandum. super quam deportetur tabernaculum. Eundem etiam precedant tres pueri in superpelliciis cantantes ymnum *O redemptor*. et alios versus qui secuntur. choro semper repetente primum versum. In .vj<sup>to</sup>. ordine due cruces deportentur a duobus acolitis ad altare ministrantibus habitu non mutato sub tabernaculo una a dextris. deferentis ampullam: alia a sinistris ipsam ampullam. subsequentes. Deinde archidiaconi. archidiacono Dorsete in medio constituto. et ita processionaliter ad altare accedant. Ymno dicto: revertatur episcopus ad altare et porrigatur ei ampulla cum oleo que habet crismatis inscriptionem. Deinde misceatur ei balsamum: ab episcopo. super quam episcopus ter crucis signum fatiens. et ter sufflens in ea conversus ad orientem in dextro cornu altaris ita benedicat crisma dicens. alta voce. *Veni creator spiritus*. cum genuflexione. et ita totus ymnus cantetur. ut primus versus a clericis secus altare stantibus cantetur. Secundus a toto choro. et ita alternatim ymnus cantetur. Quo dicto: subsequatur benedictio scilicet. *Hec commixtio liquorum* et cetera. Deinde oratio cum *Dominus vobiscum* et cetera orationes sequentes. Quibus dictis: Episcopus dicat alta voce. *Per omnia secula seculorum. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gracias agamus* cum sequente prefatione. Post predictas benedictiones minister ampullam crismatis deferens: eam sindone qua precinctus est cooperiat. eamque in dextra parte altaris quousque *Agnus dei* cantetur cum reverentia teneat.

---

<sup>73</sup> *Recte* tamen?

postea episcopus dicat alta voce. *Per omnia secula*. Deinde dicat diaconus qui evangelium legit *Humiliate vos ad benedictionem*. Deinde sequatur benedictio super populum. post benedictionem dicat episcopus. *Et pax eius*. Tunc cantor incipiat *Agnus dei*. et deferatur vas crismatis a predicto ministro episcopo deosculandum. Postea etiam loco pacis in chorum deferatur eo ordine quo chorus solet thurificari. sicque cantor inchoet communionem. et ita servitium debito modo compleatur.

104.1 **De modo \exequendi<sup>74</sup> officium in vigiliis mortuorum.** (In vigiliis mortuorum .iij<sup>um</sup>. lectionum extra tempus Paschale antiphona super psalmos ad *Placebo*: in superiore gradu. Similiter antiphona super *Magnificat*. versiculus ante *Magnificat* similiter. Psalmi quoque post *Magnificat*. et post *Benedictus* in eodem gradu inchoentur. orationes dicantur a sacerdote habitu nec loco mutato. sed vel ad altare converso. vel prostrato. Ad *Dirige* vero tam antiphona super psalmos quam ad laudes. quam ad *Benedictus* in superiore gradu inchoetur: versiculi similiter. Lectiones vero in secunda forma legantur. et responsoria ab eisdem lectoribus cantentur. habitu nec loco mutato. In prostratione autem tenentur esse clerici dum oratio dominicalis dicitur ante lectiones. Post *Benedictus* \quoque<sup>75</sup> eodem modo quo post *Magnificat*: ad *Placebo*.

Sciendum<sup>76</sup> est etiam quod numquam in vigiliis mortuorum fiunt prostrationes in Paschali tempore. nec in aliquo festo .iij<sup>um</sup>. vel .ix. lectionum. nec in commemoratione beate Virginis. nec in octabis sanctorum nec infra.

In<sup>77</sup> vigiliis vero .ix. lectionum simplicibus prima antiphona super psalmos ad *Placebo* in superiore gradu inchoetur. Ceterae omnes antiphonae in prima forma discurrant. excepta antiphona super *Magnificat*. Et prima antiphona super psalmos ad *Dirige*. et prima antiphona super laudes. et antiphona super *Benedictus* quae in superiore gradu discurrunt. Tres prime lectiones in prima forma legantur. habitu nec loco mutato. sua quoque responsoria ab eisdem lectoribus cantentur.

Tres<sup>78</sup> medie lectiones in secunda forma cum suis responsoriis eodem modo dicantur.

Tres<sup>79</sup> ultime lectiones in superiore gradu eodem modo cum suis responsoriis dicantur. ita tamen ut secundus versus ultimi responsorii. in eodem gradu ab opposito dicatur. tertius similiter ex parte chori in eodem gradu dicatur. Cetera sicut predictum est: sunt exequenda.

Iste<sup>80</sup> modus servicii mortuorum locum habet in omni anniversario et trigintali post primum diem trigintalis. In anniversariis tamen simplicium canonicorum ultimum responsorium a duobus de superiore gradu dicatur ad gradum: habitu non mutato. cum suis tribus versibus.

<sup>74</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>75</sup> This insertion was made by the original text scribe.

<sup>76</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>77</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>78</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>79</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>80</sup> This word begins with a coloured black capital.

In<sup>81</sup> primo quoque die trigintalis simplicis canonici. eodem modo ultimum responsorium dicatur. sed tamen post ultimum versum responsorii ab ipsis cantoribus ad gradum repetatur. et a choro percantetur. Preterea .vj<sup>ta</sup>. lectio in superiore gradu cum suo responsorio dicitur.

In<sup>82</sup> aniversariis vero archidiaconi. \vel/ (insertion by original scribe) et subdecani. aut succentoris modus servicii fiat sicut in prima die trigintalis simplicis canonici.

In<sup>83</sup> aniversariis. Cantoris. Cancellarii. Thesaurarii. antiphone que in simplicibus vigiliis solent esse in prima forma: in secunda forma discurrant.

Cetera<sup>84</sup> ut in prima die trigintalis canonicorum.

In<sup>85</sup> aniversariis Decani simile servitium observatur quod de ceteris personis. excepto quod tertia lectio in secunda forma. et v<sup>ta</sup>. lectio cum suo responsorio in superiore gradu dicitur. De personis vero ecclesie in episcopos promotis in aliis ecclesiis fiat servitium in eorum aniversariis iuxta dignitatis sue exigentiam. quam ante promotionem in ecclesia Sarum habuerunt(.) De aliis vero episcopis omnino extraneis. et pro regibus pro quibus fit servitium eo modo quo in aniversariis canonicorum simplitium.

Sciendum<sup>86</sup> tamen quod de illis solummodo fit servitium in aniversariis qui scribuntur in martirologio.

(S)ciendum<sup>87</sup> autem quod in aniversariis .iiij<sup>or</sup>. principalium personarum: excellentior sacerdos exequitur officium. Episcopus vero in aniversariis episcoporum suorum predecessorum officium exequitur.

(In<sup>88</sup> aniversariis episcoporum Sarum ecclesie totum servitium discurret sicut in duplici festo sancti Johannis Baptiste. habitus tamen hic non mutatur in legendo vel in cantando. Tabula enim de lectionibus legendis. et responsoriis canta(n)dis disponitur sicut in predicto duplici festo. Excepto quod hic nullum responsorium a tribus cantatur nisi nonum. Executor tamen officii in orationibus dicendis locum non mutat. Quando vero fit servitium pro corpore presente pro non canonico omnes antiphone preter .v<sup>que</sup>. principales in secunda forma discurrunt. Due prime lectiones cum suis responsoriis in prima forma. iij<sup>a</sup>. et .iiij<sup>ta</sup>: in secunda. Quinta et deinceps: in superiore gradu. Singula vero responsoria a duobus ad caput corporis ad orientem conversis: cantantur. ultimum a tribus. Idemque cum repetitione cantetur. ita quod ab ipsis cantoribus inchoetur. Singuli versiculi a duobus pueris ibidem dicantur. Cetera ut in aliis vigiliis predictis. Et si fuerit corpus canonici cuiuscumque eodem modo fit servitium sicut fit in aniversariis episcoporum ecclesie.

<sup>81</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>82</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>83</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>84</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>85</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>86</sup> This word begins with a coloured black capital.

<sup>87</sup> The text scribe left sufficient space here for a rubric and a relatively large initial.

<sup>88</sup> The text scribe left sufficient space here for a rubric and a large decorated initial.